

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Schuckmann Gerhardus Elers

De Mutatione Ad Tubam Gratiae Poenitentia : Disputatio Theologica

Rostochi[i]: Richelius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739999176>

Druck Freier  Zugang



R U. Inv. 1652

Schückmann, Norman

Kat.: Elers, Richard

30.
36

DE
MUTATIONE AD TUBAM
GRATIÆ
POENITEN-
TIA
DISPUTATIO THEOLOGICA,

Quam

In florentissimâ, ad Varnum, Academiâ,

Divino Numine Benedicente,

Venerandâ Facultate Theologicâ conseniente

& approbante.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AD MODUM REVERENDI CLARISSIMI

ET EXCELLENTISSIMI

DN. HERMANNI SCHUCK-
MANNI, S. S. Theol. Doctoris, Professoris, Vene-
randæ Facultatis Theologicæ h. t. Decani, ut & Consistorii Du-
calis Ecclesiastici Assessoris, Præceptoris ac Fautoris sui
æternum devenerandi.

Publico, placidoq; examini Theologico sicut

GERHARDUS ELERS,

HAMBURGENSIS.

Ad diem 27. Novembris,


In Auditorio majori, Horis consuetis.

os (:) se

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat. Typographi.

Anno cœl. Iac. LII.





IN NOMINE JESU!
DE POENITENTIA,
Ut mutatione ad Tubam Gratiae.

THESIS I.

POEnitentiam à Pœnitere dictam esse, certum est:
Pœnitere quid usu communi significet, notum. Significat
factum cupere insectum.

II. De Etymologiâ, juxta qvam idem sit pœnitere, quod
pœnam tenere, solliciti non sumus; Cum in S. Theologiâ non
tām voces latinæ, qvām lingvarum Veteri & Novo Testamento
avthenticarum, earumq; vis & origo attendi debeant.

III. Interim, sicut concedimus, dolorem mentis, qui in-
est pœnitentiæ, dici posse pœnam qvandam interiorem: ita voca-
bulo pœnitere, inferri pœnam extrinsecus impositam, vel satisfa-
ctionem ullam, ex vulgari acceptance & usu sacræ Scripturæ
negamus.

IV. Nomina avthentica, qvæ in versione seu translatione
lingvarum, communiter & promiscuè per pœnitere & paniten-
tiam redundunt, sunt **תְּהִנָּה**, μεταμέλεσθαι, μετανοεῖν, בְּשַׁרְפֵּסֶר. Eaq; inter se secundum rem conveniunt, tametsi se-
cundum formam vocum, & diversos pœnitentiæ respectus dif-
ferunt.

V. **תְּהִנָּה** & μεταμέλεσθαι (id est, post factum curâ ve
sollicitudine duci) dicunt mutationem cordis malum aversantis,
& de admisso dolentis. Job. XLII, 6. Jer. VIII, 6. c. ap. XXXI, 19. Et
hoc speciatim pœnitere est, vocabulo strictè sumto, qvatenuis id
principiè contritionem designat. Nota. I. μεταμέλεσθαι adhibe-
tur ad

A

tur ad

tur ad describendam pœnitentiam tām eluctantium, *Mattb. XXI.*
29.32. qvām desperantium, *cap. XXVII.3.* 2. Homine salutariter
dolente de malo culpæ, pœnitet Deum mali pœnæ, *Jer. XVIII.8.*
&c. Hoc ipsum verò est mutatio sententiæ divinæ condemnatoriæ, non qvoad decretum voluntatis (qvæ in Deo immutabilis
est, & qvidem hoc loco ordinata, includens conditionem impœnitentiæ, non absoluta;) sed qvoad executionem decreti, qvæ
consistit in immissione pœnæ, peccatori qvatenus tali, constituta;
Et hæc pœnitenti remittitur, eiq; à Deo in beneficium gratiæ mu-
tatur. Atq; eà ratione mutatio evenit, non circà decretum de
executione, neq; enim id, cum conditionale sit, remotâ condi-
tione, invertitur, sed partim circa actum justitiae vindicatrixis, qvi
interveniente contrariâ conditione pœnitentiæ, intermittitur, eo-
qvè intermisso, substituitur & exercetur aliis actus, nempè com-
miserationis, culpam & pœnam cōdonantis; partim circa objectū
ejus, videlicet peccatorem, qvi uti ex impœnitente fit pœnitens,
sic ex maledicto benedictus &c. Siquidem prionor semper Deus
est ad beneficiendum, qvām puniendum, usq; adeò, ut ex arden-
ti amore in deprecantem, malit, non fuisse necessum, ullam ali-
qvam pœnam adversus eum decerni. 3. Conseqvens & effectus
mutatiæ sententiæ condemnatoriæ in absolutoriam, est solarium
Evangelicum, habens ex Deo potentiam mutandi dolorem cordis
contriti in latitudinem, *Jes. XII. 1. c. XL. 1. c. LXI. 2.*

VI. *Mētavōcīy* (qvod est, post factum sapere, seu, ad bonam
mentem redire) dicit mutationem propositi in melius, qvā ex de-
sidente fit sapiens. Hinc *pētavōcīa*, attentâ proprietate vocis,
rectius per *Rēspīscētiam*, qvam pœnitentiam vertitur. Desipit
enim qvicunq; peccat, & in peccato hæret. Resipiscit ergò, hoc
est, sapere demum, & à regeneratione lapsus, denuò sapere incipit,
qvisqvis à peccato desistit. Huc refer oppositionem status pecca-
toris, ut stulti, & declinatis à peccato, ut sapientis, qvæ passim in-
culcatur in Sacris, maximè in Proverbiis Salomonis. *Nota. I.* Re-
spīscētia & terminum corriplicitur, & viam. Terminus est ipsa
cœlestis sapientia recuperata: Et hæc consistit in verâ fide, cuius
possessio & usus hominem in Deo sapientem ac beatum reddunt.

Via

Via ad terminum, seu medium, qvod ad Fidem, ipsamq; adeo sa-
pientiam veram post lapsum dicit, Contritio est. 2. Spectatur Re-
sipiscientia vel in termino, vel in viâ, vel deniq; in viâ & termino
simul. 3. Primo modo, distinguitur *μετάνοια* à tristitia secundum
Deum, sive à contritione, qvæ sit secundum Verbum Domini, ut
conseqvens ab antecedenti, ut finis à medio. II. Corinth. VII, 9. 10.
ubi Λύπη ή της Καταστροφής & tendere ad resipiscientiam, & hanc operari dici-
tur. 4. Secundo modo, accipitur Resipiscientia *μετανώσις*, & qvi-
dem pro Contritione, ut priori parte pœnitentia, idq; in iis locis,
in qyibus tanquam distincta ponuntur, *μετανοία* & *τίσις*, pœni-
tentiam agere, & credere Evangelio, Act. XX, 21. Marc. I, 15. 5.
Tertio modo, qvatenus constat Contritione, Fide & bono propo-
sito, sumitur ὀλιγως pro totâ hominis conversione, & omnibus,
qyæ pœnitentia vel conversioni insunt. Matth. IX, 13. Luc. XV, 7.
Act. XVII, 30. Sic in loco Luc. XXIV, 47. Resipiscientia & remissio
peccatorum differunt, ut causa & effectus, qvi propriè tribuitur
fidei, ceu parti principali, termino & complemento pœnitentia.
Neq; verò peccatorum remissio & fides formaliter idem sunt.

VII. Τέλος & Πρόσφετον significant conversionem vel re-
versionem mentis à malo ad bonum, à peccato ad justitiam, à po-
testate Satanæ ad Deum. Illud Terminus conversionis à qvo, hoc
terminus ad quem, vocatur. Jerem. XVIII, 8. Ezech. XVIII, 27. Act.
XXVI, 18. Nota. 1. Cum conjunguntur voces *μετανοεῖν* & *Πρόσφετον*
declaratur altera per alteram, ita ut *μετανοεῖν* modum revertendi,
qui consistit in actibus cōtritionis & fidei, ut partium pœnitentia:
Πρόσφετον verò respectum ad terminos tūm à qvo, tūm ad quem
primariò inferat, Act. III, 19. c. XXVI, 20. Qyorum sensus est, qvod
agentes pœnitentiam, hoc est, dolentes de admissione, & in Christum
credentes, hoc ipso convertantur ad Deum, à qvo aversi fuerunt. 2.
Πρόσφετον, non conjunctum cum *μετανοεῖν* vel similibus, utrumq;
simul, videlicet modum conversionis, & relationem ad terminum
comprehendit; qvomodò remissio peccatorum alibi cum resipi-
scientia, Luc. XXVI, 47. alibi cum conversione ad Deum, Act. XXVI,
18. (confer. Jes. VI, 10. Marc. IV, 12.) & ita cū alterutro horum promi-
scue

Icūe connectitur. Sic *Πνευματικὴ τύπος εἰς τὸν Ιωάννην*, *Act. XV, 3.* est reduc-
tio Gentium ad Deum per pœnitentiam, adeoq; mutatio Ethni-
cismi in Christianismum, status tenebrarum & iræ, in statum lu-
cis & gratiæ.

VIII. Inter expositas hactenus voces eminent *μετανοεῖν*,
& indè dicta *μετανοία*, qvæ & usitatisima in N. Testamento, &
plenè designando huic doctrinæ Christianæ articulo convenien-
tissima.

IX. *Distinguitur Pœnitentia in aliam*, qvæ solum Lumen
naturæ & notitiam naturalem, eamq; tam insitam, cum judicio
mentis practico; qvam acquisitam ex consideratione rerum crea-
tarum: Et aliam, qvæ Lumen *gratiae* & Verbum Dei pro principio
habet. Illa, non accidente illuminatione Spiritus sancti per Ver-
bum gratiosâ, Ethnicorum; Hæc Christianorum est. Illa con-
stat contritione tantum, eaq; tûm particulari, non attingente pri-
mas ad malum inclinationes, seu propensiones vitiosas, ut naturæ
incognitas, sed in exterioribus duntaxat peccatis, vel ad sumnum
in affectibus & passionibus animi pravi gravioribus subsistente;
tûm inani, utpotè dolente non de offenso Deo, ejusq; gratiâ amis-
sâ, sed de aliquo adversus legem naturæ admisso delicto, qvod in-
fectum cupit Ethnicus, non amore summi Numinis, Dei, quem
fugit, ut judicem severum; sed metu pœnæ & virtutis studio, va-
næq; gloriæ per hoc aucupio. *Hec contrà dolorem vel contri-*
tionem verâ fide perficit. Illa salutaris non est; Hæc operatur
salutem. *Nota.* Etsi Ethnicorum pœnitentia non modò non re-
ponit qvenquam in statum salutis, cò qvod fide, tanquam medio
salutifero destituitur, sed & postea *ἀπηλγόντες*, dedolentes, hoc
est, stimulus naturæ, morsusq; conscientiæ, & excitatum ab hæc
dolorem cordis, juxta cum rectâ ratione in semetipsis supprimen-
tes, coram Tribunalî Dei, ut summi Judicis & peccatorum Vindi-
cis, *ἀναπονήτες*, inexcusabiles reddit: Interim tamen tolera-
biliore facit in die Judicii (non qvoad species supplicii infiniti,
sed qvoad gradus) conditionem eorum, qvi extra Ecclesiam, lu-
mine minori, qvam illorum, qvi intra eandem, lumine majori ex-
stincto,

sincto, dolere de peccatis desinunt, & impenitentes ac reprobi
ex hac vita discedunt. *Matth. XI, 21. 24.*

X. Poenitentia ad Lumen gratiae relata, distinguitur in falsam & veram, damnabilem & salutarem. Illa est vel simulantum contritionem & fidem (quae hypocrita vocatur) ut Pharisaeorum; vel doloribus succumbentium, ut Judae proditoris. Haec & seria est, & suis partibus absoluta.

Nos Ethnici, falsam, damnabili missam; Christianam, veram, salutarem poenitentiam certis articulis delineabimus.

ARTICULUS I.

De Subjecto Poenitentiae.

XI. SUBJECTUM QVOD, est OMNIS HOMO PECCATOR, cuiuscunq; sexus, aetatis, status.

XII. Illud ut recte intelligatur, notandum, Poenitentiam veram sumi vel generaliter & late, vel specialiter & stricte. Late sumpta, nihil aliud est, quam conversio vel immutatio cordis, quam homo peccator fit alius a se ipso, non secundum substantiam, sed secundum malum, sive naturae inherens, sive actu commissum, ut & conseqventer secundum reatum per id contractum: Atque sic complectitur una cum vera fide, omne id, quod contritionis salutaris aliquam rationem & formam habet, vel eidem necessario inest, veluti agitio quaedam corruptionis naturae subjacentis irae Dei, etiam ob solam labem originalem, item imbecillitatum erratorumq; omnium, sine consensu voluntatis ingruentium. Stricte vero accepta, distinctos, eosque evidentes contritionis & fidei actus infert, versaturque cum primis circa lapsus vel peccata actualia gravida, ex virtute originis deu fonte orta. Acceptio igitur sive alterutra, sive utramque conjunctim positam, dicimus omnem hominem esse subjectum poenitentiae, sed diversimode. Loquimur autem tum de possibili, tum de jure, hoc est, quod quilibet resipiscere & converti possit ac debeat, juxta voluntatem & intentionem Dei universalem; non quod actu omnes poenitentiam agant & ad Deum convertantur. Contrarium enim, id est, non omnes, proh! dolor, converti, docet Scriptura, & comprobatur experientia...

A 3

XIII. Ho-

XIII. Homo omnis, quatenus peccator est, nempè Adam & Eva post lapsum, omnesq; eorum posteri secundum carnem geniti, à peccato per gratiam Dei in Christo liberandi, opus habent pœnitentiâ, non obstante loco *Luc. XV, 7.* ceu in quo ~~metavice~~ accipitur specialiter & strictè, pro conversione nondum regenitorum, vel à regeneratione in peccata contrà conscientiam prolabentium: Hâc enim non indigent justi, seu stantes in fide, quatenus tales.

XIV. Solus CHRISTUS, ut ab omni peccato ceu inhærente proprio, sic à pœnitentiâ excipitur. Attritus ipse est ob aliena sibi imputata, hoc est, totius generis humani peccata, qvæ sua fecit receptione spontaneâ, & in corpore suo expiavit, ut Sponsor, Victimæ, Mediator. *Ies. LIII, 4.5. seqq. I Pet. II, 24.*

XV. Homo ratione ætatis consideratus, vel infans est, vel adultus. Infantes dicuntur, qui capaces non sunt discretionis boni & mali, illius eligendi, hujus reprobandi. Adulti, qui ad annos discretionis pervenerunt.

XVI. De Infantibus quæritur; *An in hos qvog; cadat pœnitentia?* Quæstio autem est de illis non extrâ respectu regeneratiois, sed quatenus regenerandi, vel regeniti sunt. *Resp.* Cadit in tales aliquid, qvod est ipsius pœnitentiæ generaliter & latè acceptæ: Siqvædem fides in eos cadit, *Gal. III, 26. 27. &c.* Qvod alibi ex professo demonstratur. Jam fides est agnitione fiducialis Christi, ut Redemptoris, ipsiusq; Dei, ut Patris in Christo reconciliati: Et hæc necessariò præreqvirit agnitionem aliquam captivitatis, misericordie, peccati, extrâ qvod Redemptore, vel reconciliatione opus non est. Agnitione remedii agnitionem morbi præsupponit. Ista vero debentur non naturæ sibi relicta, sed gratiae Spiritus Sancti, opera ntis hæc secundum virtutem suam in cordibus infantium, tam in actu, qvam statu regenerationis, modo nobis incomprehensibili & ineffabili. Interim ad strictè sumptam pœnitentiâ, qvæ occupatur circa lapsus actuales graviores, qvales in infantes non cadunt, qvæq; in distinctis actibus non solùm fidei, sed & contritionis, maximè qvoad dolorem & compunctionem cor dium notabilem, consistit, in Scripturâ sacrâ non infantes, sed Adulti,

ulti, qui Verbum Dei audire possunt, divinitus vocantur & invitantur: Quae & ipsa potissimum praesentis considerationis est.

XVII. *Adulii* vel irregeniti sunt, vel Renati. In Irregenitum seu nondum renatis, sed regenerandis, sit initium conversionis & poenitentiae. Pro exemplo sunt gentes concionibus tum propheticis, tum praecepit Apostolicis, ad Deum conversae.

XVIII. *Renati* vel sunt stantes in fide & gratia divina foederali; vel cadentes & statu regenerationis excidentes.

XIX. *Stantium* poenitentia (vocabulo hoc generaliter & latè sumpto) continua est, habens pro objecto imbecillitates quotidianas, voluntate licet dissentiente ac reluctante Spiritu, se propriantes, easq; non modo patentes, sed & latentes, quas subinde deprecantur Sancti, fide in meritum Christi perpetuo defixa, ob quam tales horum infirmitates, peccata venialia dicuntur. *Psalm. XIX, 13. Rom. VII.*

XX. *Excidentes* regeneratione & foedere gratiae divinae sunt omnes illi, qui se à Deo avertunt per lapsum vel peccatum contra conscientiam sive improvsum; sive destinatum, spontaneum, ~~accidens~~. Illud fit ex impetu & robore carnis, Spiritui in lucta prevalentis; quod dolendum. Hoc ex arbitrio perversae voluntatis lucram sponte sua rejicientis; quod horrendum.

XXI. *Illi*, qui cadunt, resurgere possunt, vi longanimitatis & misericordiae Divinae, sive statim resurgent post consummatum peccatum, ut David, *II. Sam. XXIV, 10.* sive mora aliquâ interposita, ut idem, *II. Sam. XII, 13.* Tame si, quantisper in securitate carnis persistunt, nullam spem habent gratiae Divinae, lapsos errecturæ.

XXII. *Hoc*, qui cadunt, ~~avertantur~~ sunt, & volentes pereunt: Qvanquam nec hic infinita misericordia Divina terminusfigendus. Quod si quis (si quidem permisit Deus) motus aliquando & erectus à Deo, resurgat; is profecto, ut Reus maleficus, à praesentissimo supplicio retractus, vel ut titio creptus ex incendio, maximam præ omnibus causam invenit, immensas miserationum Dei, non modo ut indebitarum, sed & summe exuberantium divitias pie exosculandi, atq; ob has, citra mortem.

& ex toto corde resipiscēdi, fructusq; pœnitentiā dignos reddendi,
in omni humilitate & patientiā, qvibuscunq; decretis vel disposi-
tionibus beneplaciti Divini, & emisis ab hoc ad macerandum
carnem tribulationibus, libenter acqiescente, atq; ex summo
gratiæ gradu, summum obedientiæ debitum æstimante. Qvod
si verò qvis non resurgat, (siqvidem per se cadere, at resurgere ex
semetipso nequit) adeoq; in æternum exitium impœnitens ruat;
hic utiq; sanctissima justitia Dei, illusores gratiaæ suæ, desertione
& abjectione promeritâ punientis ac vindicantis, omni modo ve-
neranda & prædicanda: Utrobiq; verò impervestigabiles viæ & in-
scrutabilia judicia Domini, tūm qvoad ~~πονησίαν~~, seu severita-
tem respectu cadentium, tūm ~~χειροτητην~~ seu benignitatem respe-
ctu erectorum, ab omnibus fidelibus, maximè ex lapsu contrà con-
scientiam resurgentibus, submissè agnoscenda, & cum tremore
admiranda, magnificanda.

XXIII. Ea, qvæ Spiritum regenerationis excutiunt, & ho-
minem ex statu gratiæ in statum iræ reponunt, non solum sunt
opera carnis regnantis, qvorum Catalogum texit Apostolus Rom.
XIII, 13. I. Cor. VI, 9. Gal. V, 19. 20. 21. Sed & concupiscentiæ & co-
gitationes omnes, pugnantes cum lege Dei, qvaten' ille ab homine
renato non modò non retunduntur, qvemadmodum retundi per
Spiritum possunt, verum, posthabitib; ejusdem motibus carni con-
trariis, sanctis, sponte qvādam admituntur, & cum delectatione
porrò promoventur, utut non prorumpant in opus extrinsecum.

XXIV. SUBJECTUM QVO, vel primarium est &
internum, vel secundarium & externum.

XXV. Primarium est Anima hominis, ejusq; facultates
tūm superiores, Intellectus & Voluntas, (in qvibus tanq; ~~πεύθεται δεκτηώς~~, & qvidem Illo illuminato, Hâc rectificatâ, vera ac
salutaris conversio, qvoad actum & statum, non modò initium
capit, sed & perficitur) tūm inferiores, ut Appetitus sensitivus, &
hinc propullulantes Affectus.

XXVI. In Intellectu, efficit Spiritus Sanctus agnitionem
tām peccati, qvām meriti & satisfactionis Christi, adversus igno-
rā.

In Voluntate, reprobationem mali & electionem boni,

contra

contrà p̄fversitatem. In Appetitu & Affectionib⁹ tristitiam ex peccato, & lātitiam ex remissione peccatorum, secundum promissiones Evangelicas: item Zelum, cum desiderio crucifigendi carnem, & obseqvendi Deo; adversus corruptionem & rebellionem.

XXVII. Veniunt hæc, uno nomine CORDIS, generaliter & complexè sumpto, nec cum Animâ, vel mente coniuncto. *Matth. XV, 8. 18. 19. Iesu. VI, 10. Joël. II, 13. Luc. I, 17. c. IV, 18. Psalm. LI, 12. Ezech. XXXVI, 26. &c.* Nota. Ex Corde resipiscere, est intus & verè resipiscere, idq; in oppositione ad pœnitentiam falsam, humano consilio confitam, in exterioribus duntaxat residentem, *Matth. VI, 16. c. XV, 8.* Tò ex toto corde, item ex totâ Animâ resipiscere, hoc est, resipiscere seriò & indivisè; uti removet qvamicunq; simulationem vel hypocrisim, sic vicissim omnes animæ potentias & facultates verae pœnitentia subiicit, *Deut. XXX, 6. 10. 1. Sam. VII, 3.*

XXVIII. Secundarium sunt sensus & membra Corporis, actionesq; externæ, qvorum mutatio se habet ad mutationem cordis, ut consequevens ad antecedens: Positâ enim verâ & seriâ corporis resipiscientiâ, non potest non sequi exteriorum quoq; sive operum, sive membrorum, sive sensuum transformatio ac renovatio, tametsi in iis, à servitute iniqvitatis ad obseqvium Justitiae, juxta beneplacitum Dei compositis, non tam ipsa pœnitentia, qvæ intus peragitur, qvam illius declaratio & demonstratio ad extrâ consilit, *Psalm. VI, 7. 8. 9. Ps. LI, 15. 16. 17. Rom. VI, 19. 1. Sam. VII, 3.*

XXIX. Mutatio tam interiorum, qvam exteriorum, non sit ~~per~~ in corpore, sed ~~per~~ à me, vel auctor. Cor novum à Deo creator in homine pœnitente, non secundum substantiam, sed qualitates novas. *Psalm. LI, 12. seqq. Rom. XII, 2. 3. &c.* Diversum hoc sit non ab alio priori, sed à se ipso aliter antè affecto. Fit enim ex insipiente sapiens, ex malo bonum, ex duro molle, ex carnali spirituale.

XXX. SUBJECTUM, CIRCA QVOD, vel OBJECTUM est & Malum & Bonum, diverso respectu. Illud abolendum, Hoc recuperandum. Illud in actu pœnitentia & conversionis fit terminus a quo; Hoc terminus ad quem.

XXXI. Malum h̄ic primariò & antecedenter considera-

tum est malum *culpæ*: Secundariò & conseqventer malum *pœnae*.
Hujus enim ut impositio, sic & abolitio fit extrà nos; tametsi *Reatus*, cœu poena immediata, peccatum, qvod in nobis ipsis est, necessariò concomitatur, eoq; condonato, & ipse simul tollitur. *Rom. VIII, 1.* ut ità conversi à peccato, convertanter hoc ipso à potestate *Satanæ*, & huic respondentे servili conditione ac metu, qvæ modò diverso, & *culpæ* & *pœnae* rationem qvandam habent. *Act. XXVI, 18.* conf. *Hebr. II, 15.* Reservatis interim œconomiaæ diuinæ pœnis temporariis, iisq; posteà à Deo, ut Patre reconciliatio in paternas castigationes conversis. Pro exemplo est David.

XXXII. *Malum culpæ* vocatur aliás *Caro*, eaq; Spiritui adversa: item *Homo vetus*, novo homini, tenebræ luci, vanitas veritati opposita; communiter *Peccatum*, qvod tūm *actuale* est, tūm *originale*. *Illud*, & qvidem voluntarium seu mortale, fit proximum & immediatum objectum pœnitentiaæ speciatim & strictè dictæ. *Hoc*, illo mediante: Agnito enim peccato actuali, deducimur in cognitionem originalis, ut principii. Hinc feriò dolens de illo, dolet quoq; de hoc, tanquam primâ omnis mali origine, ductâ ex generatione carnali. De utroq; conqueritur David *Psalm. LI, 5.6.7.*

XXXIII. *Actuale* peccatum aliud est voluntarium, aliud involuntarium. *Voluntarium* seu regnans est ex actu voluntatis vel directè in & per se hoc elicientis, vel ex transverso ad id appetæ. *Illud* nominamus lapsum improvissum; *Hoc* destinatum, spontaneum, ~~de~~ *angelus*, vide *Thef. XX, XXI, XXII.* *Involuntarium* vel est ignorantiae, vel infirmitatis: Et hoc in homine regenito, sive manifestum, sive occultum, vide *Thef. XIX.*

XXXIV. Utrumq; tām voluntarium seu regnans, circa qvod in primis occupatur pœnitentia strictè accepta; qvām involuntarium suo modo, partim omissionis est, qvando videlicet non agitur, qvod agi debebat, & qvomodò debebat secundum voluntatem Dei: partim commissionis, ut cogitatum & concupitum in corde, dictum in ore, factum in opere, adversus legem Dei: Item aliud proprium est, aliud communicatione contractum; Sub hoc tamen discrimine, ut voluntarium fiat cum consensu mentis, involuntarium cum dissensu.

XXXV

XXXV. Bonum, cui recipiendo pœnitentia infervit, & privativum est, & positivum. Privativum est liberatio à reatu; Positivum consideratur, tūm in descensu Dei ad nos, estq; Gratia divina in Christo, virtute Spiritus Sancti, pœnitentibus applicata, cum omnib^o beneficiis à Christo partis, in Evangelio propositis, tūm ad scensione nostri ad Deum, & est vera Fides, ejusq; fructus, studium nempè renovationis, vel nova obedientia Deo debita.

XXXVI. Uno nomine Objectum principale, & ultimus terminus salutarii pœnitentiae est ipse DEUS, potestati Satanæ oppositus, complectens in se bona omnia. Act. XXXVI, 18.

XXXVII. Nunc ad Controversiam de Subjecto pœnitentiae. An in lapsos post baptismum & regenerationem, cadat tempus pœnitentia, & consequenter peccatorum remissio? Qvæstio hic non est 1. de irregenit, seu iis, qui extra Ecclesiam fuerunt, sunt, & erunt ad consummationem usq; seculi, ut paganis & infidelibus. Hos n. & converti posse, & juxtā beneplacitum Dei (fractis maximè per incredulitatem ramis naturalibus) debere, probant dicta, Rom. XI. Act. XVII, 30. 31. Luc. XXIV, 47. 48. (ubi expendenda simul tūm notæ universalitatis, πάντες, καὶ εἰς πάντες τὰ ἐγγυη, tūm fundatum & ratio universalis, videlicet, meritum mortis & resurrectio- nis Christi, cuius finis effectusq; & pœnitentia, & absolutio est; item decretum à Deo Judicium super totum orbem) Probat idem in specie separatio Pauli & Barnabæ ad ministerium in Gen- tes, Act. XIII, 2. Rom. XI, 13. &c. Actu verò conversos esse per orbem terrarum gentiles plurimos, loqvuntur, præter exemplum Ninevitarum & aliorum in V.T. Acta cumprimis & pleræq; Epistolæ Apostolorum in N.T. Adde, quod conversio gentium, aliorumq; infidelium extra Ecclesiam, sive jam facta, sive deinceps fu- tura, promittatur, ut fructus crucis Christi amplissimus. Iesu LII, LIII, LIV, &c. Sed qvæstio est hoc loco de iis, qui excidunt statu regenerationis in Ecclesiâ. 2. Non qværitur de infantibus bapti- zatis, sed de adultis, & qvidem illis, qui lapsibus strictè dictis obnoxii sunt. Unde nec 3. qværitur de peccantibus ex infirmitate, cui tamen subinde per Spiritum resistunt. Hi enim ut stantes in gratiâ fœderali, strictè loqvendo non dicuntur resurgere, ut ut à

communi, cāq; quotidianā p̄c̄nitentiā se ipsos m̄nime eximant.
Sed qv̄stio est h. l. de voluntariē peccantibus, maximē cū id
fiat per voluntatem abreptam. Quo loco tamen habendi non
sunt, qvi violentiā morbi omnem rationis usum impedientis, ad
mortifera delicta abripiuntur; qvæ cum non tām ipfis imputandas
sint, qvām Diabolo agenti talia per Melancholiam, idq; expermis-
sione Dei, aliorum emendationem hoc ipso qvārentis; etiam ta-
liter peccantes (siquidem antē paroxysmū gratiam Sp. S. non reje-
cerint) nō rigoroso Judicio, sed misericordiæ Dei, ineffabilia Spir-
itus suspiria intelligentis, & vel in extremo mortis agone suscipien-
tis, subjicimus. 4. Non qvāritur, an qvis post baptismum &
re-generationem ita labi posuit, ut gratiā Dei penitus excidat; id enim
h. l. præsupponitur, & alibi ex professo, tūm per dicta, qvæ sunt
Ezech. XVIII, 24. 26. Rom. VIII, v. 13. cap. XI, 22. tūm per exempla,
Davidis, Petri, aliorum, ut & experientiam communem demon-
stratur. Multò minūs qv̄stio est. 5. num licitum sit ulli, ullo
modo cadere, hāc fini, ut posteā resurgat, seu qvod idem est, face-
re mala, ut veniant bona? Qvod dicimus, præviā scriptura *Rom. III,*
§. abominandum, blasphemum, damnabile &c. Abominandum non
modò lumini gratiæ, sed & naturæ: Blasphemum & impium, qvia
injurium in Dei Sanctitatem, Justitiam, Misericordiam, ipsamq;
voluntatem in Verbo patefactam: Damnabile, qvia eludit gra-
tiam Dei, dūm ab hāc; qvod dictu horrendum; manifestæ ini-
quitatis patrocinium neqviter exspectat, atq; hoc ipso animam
peccatoris in paratissimum exitium conjicit.. Non est pro-
fectō in voluntate & potestate alicujus, à lapsu resurgere, sic-
ut cadere est. Cave tibi, quisquis talia singis, & noli te ipsum deci-
pere. Deus non irridetur. Undē nec. 6. qvāritur, an omnes volun-
tariē lapsi, ipso actu resūgant & convertantur? Venerari hīc nos
decet Justitiam Dei non minūs, qvām Misericordiam ejus. Utī
knjus est, misereri omnium sub peccato conclusorum; Sic & illius
est, malitiam lapsorum, præsertim corum, qui ad p̄c̄nitentiam de-
nūō vocati, aliam post aliam, externam pariter & internam com-
monefactionem Dei respūunt, & ad id, quo emolliri debebant, in-
durare se ipsos perguant, subtractione mediorum salutis, execœca-
tionē,

tionē & indurationē judiciariā, uincī: Neq; enim tot, tamq;
preciosos gratiæ divinæ thesauros continuo ac perpetuo ludibrio
subjacere, fas est: Ut taceam imperscrutabilia Judicia Domini,
qvorum causæ occultæ prorsus sunt, ut justissimæ sint. Nec. 7.
qværitur, an aliquis, qvantisper hæret in peccatis contrà conscienciam,
spem veniæ alicujus habere queat? Nullam habere eum posse
certum est. Fides enim vel spes veniæ est donum gratuitum
peculiaris gratiæ Divinæ, idq; non securis, sed contritis mentibus
deq; peccato, secundum Deum dolentibus promissum. Deniq;
non qværitur. 8. an qvis prolapsus in peccatum, suis, naturæ, viri-
bus resurgere, seq; ipsum vicissim ad Deum convertere possit?
Qvod similiter, sicut tria proximè præcedentia, negamus; Si qvi-
dem inter nondum regenitos, & in pristinum iræ statum relapsos,
præter notitiam historicam & externam fidei professionem, qvam
Illi nondum habuerunt, Hi ut plurimum retinent, qvoad ipsum
salutaris conversionis opus, discrimen non est: sed tam horum,
qvam illorum pœnitentia gratioꝝ operationi & virtuti Sp. S. in
solidum transcribenda.

XXXVIII. Status igitur controversiæ relinqvitur hoc mo-
dō formandus: An voluntariè post baptismum ac regenerationem de-
linquentibus, & per hoc, statu gmtiæ exincidentibus, denegata sit à Deo re-
missio peccatorum, unâ cum mediis & viribus redundi ad Deum spiritua-
libus, adeoꝝ aditus ad pœnitentiam præclusus? Affirmarunt hoc olim
seculo III. Novatiani, qvi, referente Eusebio lib. VI, c. 42. se ipsos
nominarunt **Kaſaqꝫ**, h.c. pueros, & (occasione sumptâ ab apostasiâ
qvorundam tempore persecutionis) lapsos post baptismum, (utut
hi redire ad pœnitentiam satagant; qvod vanum esse, & fruſtrâ
fieri censuerunt) absolvere noluerunt. Nos negamus, & ex ad-
verso, locum esse pœnitentiæ & absolutioni apud Deum & Eccle-
siam, etiam post lapsum à regeneratione, asserimus.

Argumentum I. deducimus ab infinitâ virtute meriti & sa-
cerdotii Christi. Dicitur hic factus sacerdos in æternum, cum
juramento Dei à ueritate. Psalm. CX, 4. Hebr. VII. Dicitur in-
venisse redemptionem æternam Hebr. IX, 12. Dicitur potens ad
salvandum perfectè accedentes per ipsum ad Deum, jugiter vi-

vens ad intercedendum pro illis, cap. VII, 24. 25. Qvæ intelligentia sunt, non tantum de fructu sacrificii Christi redundant in uitam fine carentem, sed & de perpetuo officio expiandi peccata, quantumlibet gravissima, deq; valore satisfactionis & intercessoris, omnibus peccatoribus, gratiam & vires revertendi ad Deum qvocunq; tempore, promerentis & impetrantis. Dices. Restringi hanc potentiam Christi ad eos, qui accedunt per ipsum ad Deum, Hebr. VII, 25. Resp. Ipse accessus ad Deum, juxta cu.n facultate accedendi debetur soli Christo, non viribus nostris. Urgemus hic, tūm voces dī airis, tūm analysin & vim totam textus Apostolici, in demonstratione Spiritus, juxta qvam observandum.
1. Accedunt ad Deum non solum stantes, sed & lapsi, cum resipiscunt; & hi quidem gratiā & amore Dei qvam maximè opus habent. 2. Facit Christus, qvoad Sacerdos & Propitiator est, ut omnes peccatores ad Deum accedere queant, non exclusis famosisimis, tanq;à eminentiori objecto propitiatorii & Sacerdotalis officii Christi. 3. Qvotqvot ad Deum accedunt, per Christum accedunt, h. e. merito & virtute Christi. 4. Pro his, ne à Deo repellantur, Ipse intercedit, vi satisfactionis in sanguine, & ut ita intercedat, semper vivit, ut potè perpetuò ac velut unicè in id intentus, animatus, paratus, ceu qui non sibi, sed peccatoribus vivit. 5. Hinc salvare eos perfectè potest (εἰς τὸ παντελὲς) h. e. non ab aliquo, sed omni peccato, non uno duntaxat, sed omni tempore, liberare & ad salutem perducere potest. Ecquis verò lapsos post regenerationem eximere volet intercessioni Christi, & qvæ in ipso est, potentia salvandi? Nemo id fecerit, nisi qui sacerdotium ejus finitis & angustis terminis coarctabit. Sanè, si quisq;am Intercessore, si Salvatore quisq;am indiget, indigent potissimum peccantes contrà conscientiam: Et horum conversio eminentissimus meriti Christi fructus, & insigne laborum ejus præmium est. Ex cipies. Hac ratione nullos damnationi fore obnoxios. Resp. Frustrè redemptionis & sacerdotii Christi, juxta voluntatem & oeconomiam Dei, qvæ fidem ab hominibus requirit, non contrà eandem applicari potest; Qvod utiq; fieret, si incorrigibiles & finaliter contumaces salvarentur. Regeris. His accensendos esse qvilibet

libet voluntariè lapsos post baptismum. *Reff.* Accensendi sunt incorrigibilibus non nisi illi, qui omnia ad emendationem media respuunt. Extrà quem casum, si peccatoribus non opitularetur Christus, aut non posset eos salvare, aut non vellet. Prius injurium est in infinitatem meriti & virtutis ejus. Posterius in immensam misericordiæ divinæ profunditatem. Utrumq; in finem mortis Christi ex intentione ac voluntate Dei, respectu objecti in hoc seculo, sine exceptione statu, loci, temporis, universalem.

II. Argumentum à voluntate Dei, desiderantis non mortem & interitum, sed conversionem & vitam impiorum. *Ezech. XVIII, v. 31. 32. c. XXXIII, ii.* Hic urgemos vim vocum *υψι* impii & *τον* mortui, quarum Illa, præter voluntatem, etiam malitiam & consuetudinem peccandi: Hæc statum iræ oppositum statui gratiae, *κατ' εξοχην*, infert. *Conf. Iesu. LVII, 20. 21. Eph. II, 1. 3.* Urgemos perfectionem desiderii & voluntatis Dei, cupientis non modò finem, nempe salutem seu vitam peccatorum, sed & media ad vitam ducentia, conversionem & pœnitentiam. Urgemos deniq; Juramentum Dei, qui mentiri alias nequit. Adde, *II. Pet. III, 9.* ubi causa detinendi aliquandiu Judicium extremum, est longanimitas Dei, nolentis aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere: quorum complexu non solum irregeniti, sed & lapsi à regeneratione comprehenduntur: Qvod ipsum porrò illustratur comparatione imparium, Dei, & hominis Christiani, qui imitatione misericordiæ Divinæ, fratri, quotiescumq; ille peccaverit, remittere tenetur. *Luc. VI, 36. c. XVII, 4. Matt. XVIII, 21. 22.* Unde conseqvitur, eminentissimam in ipso Deo propensionem esse ad condonandum peccata quibuslibet, sine numero.

III. Argumentum à seriis invitationibus Divinis ad pœnitentiam, ut & promissionibus Evangelicis evidentissimis, quæ ad eos in primis dirigantur, qui in Ecclesiâ viis mortiferis insistunt, ut easdem deserant. Repetimus hic dicta *Ezech. XVIII, 31. 32. cap. XXXIII, ii.* ex quibus hoc loco urgemos querelam commiserentis Dei paternam, humanissimam: *Quare, inquit, moriemini domus Israël?* Adde, *Joël. II, 13. Matth. XI, 28.* & alia quam plurima. Refer
huc

Huc in specie Potestatem Clavis Absolventis, quæ non tantum ad iustos, qui ut poenitentiâ, sic & absolutione strictè dictâ non egent, sed quâm maximè ad lapsos post regenerationem pertinet. Ad quos certè non pertineret, præclusâ iis ad poenitentiam viâ. Data est hæc potestas Apostolis & toti Ministerio, quod illi tunc temporis repræsentabant, *Matth. XVI*, 19. *Job. XX*, 23. Ethic urgenda propositionis universalitas, in vocibus ἐαὶ &c. *αἱ τῷν &c.*
Nota. Sicut potestas absolvendi non cuivis promiscuè, nedum ulli, sinè sufficiente probatione & exploratione applicanda, (ne sanctum porrigitur canib^o, *Matth. VII*,) sic nec lapsis post baptismum eisq; resurgentibus, quos seriò resipiscere constat, deneganda.

IV. Argumentum ab exemplis Petri, Davidis, & aliorum, quos à regeneratione, & mortaliter lapsos esse, & poenitentiam rursus egisse, & remissionem peccatorum apud Deum invenisse, Scriptura testis est. *Matth. XXVI*. *II. Sam. XII*. &c. Adde, gradum gaudii cœlestis majorem esse, respectu unius peccatoris resipiscientis, quâm justorum plurium, *Luc. XV*, 6. 10. *Nota.* Hæc & horum similia, quanquâm à posteriori lapsis resurgentibus veniam offerunt, à priori tamen nullum ad cadendum, seu contrà conscientiam, vel semel etiam, ne dicam iteratis vicibus, delinquendum, licentiam; quæ & ipsa cum fide & Christianismo nequam consistit; indulgentia: multò minus patrocinium ullum, ullamq; impunitatem aut spem venia, peccatoribus, quâ talibus, pollicentur. Qvin potius implacabile odium adversus peccata, quibus tam benignissimus pater offendatur, ejusq; favor & & gratia nefariè amittatur, omnibus Deum diligentibus inspirant: Nec non conseqventer, universis & singulis, voce Evangelii, quæ non nisi poenitentibus proposita est, ad nequitiam & securitatem abutentibus, vel ipsâ dictante conscientiâ, horibile iudicium denunciant.

XXXIX. Objicitur. i. Dictum, *Hebr. VI*, 4. 5. 6. cui parallelus locus est, *c. X*, 26. In illo, impossibile dicitur, semel illuminatos &c. eosq; vicissim lapsos renovari ad resipiscientiam, h. e. à Deo per novos motus excitari, & viribus gratiae ad agendam veram ac salutarem poenitentiam necessariis instrui, & qvidem *deinde, habi-*

nuò, habito respectu ad priorem statum corruptionis naturæ, &
qvo per gratiam regenerationis liberati sunt. conf. v. i. In Hoc, pro
peccatis ultrò vel sponte peccantium, reliquā adhuc esse hostiam,
negatur. Resp. Agunt hæc loca non de qvovis lapsu vel peccato
voluntario sive improviso, sive destinato, post illuminationem
seu regenerationem admisso, sed de Blasphemiam contrà Spiritum
S. Qvod ex ipsâ descriptione patet, in qvâ attendenda, partim con-
ditio labentium à priori, inferens causas & vires, ad resistendum
peccatis, eminentiores; ut potè omnes gratia gradus complectens,
qui sunt, accepisse agnitionem veritatis, esse illuminatum, (illumina-
tione spirituali) gustasse donum cœlestis, h. e. percepisse dulcedinem
gratiae Dei in Christo; participem factum Spiritus S. tūm qvoad in-
habitationem efficacem, gratosam; tūm in specie qvoad commu-
nionem donorum, non tām administrantium, qvām sanctifican-
tium: gustasse bonum Dei Verbum, h. e. percepisse lautias ac deli-
cias spirituales, ex Verbo Dei, ut cibo animæ, promanantes: De-
niq; gustasse virtutes futuri seculi, h. e. prægustum habuisse vi-
ta æternæ, & qvæ in eâ sunt, facultatum ac roboris divini, infiniti,
pro saturandis, læticandis, coronandis Dei amatoribus: Partim
peccati qualitas, secundum qvam dicuntur, non solum cadere,
(παρεπιπλον) h. e. tām pretioso, glorioso & incomparabili statu
excidere, & quasi vi qvādam in perniciem ruere; & quidē ēxegi
ultrò, motu spontaneo, luctam omnem transcendentem, & sic im-
pulsui carnis Spiritui reluctanti prævalentis opposito, qui est a-
&us voluntatis liber & elicitus, inferens lapsum destinatum, in
oppositione ad actum abreptitum, lapsumq; improvissum: Sed &
præterea (qvod gravius est) 1. Crucifigere sibi ipsis rursus Filium Dei, seu
crucem ei figere in corde suo, h. e. participes semetipsos reddere
horrendi istius flagitii, crucifixionis, recipiendo videlicet in cor-
pus & animam reatum peccatorum, summis crucifixi (Dei) dolori-
bus semel expiatorum, imò colludere cum his, tanquam hostibus
iisdem, qui olim ipsum Filium Dei cruce macerarunt. 2. ignomi-
nia eum exponere, h. e. traducere ipsum, quasi indignum nomine Fi-
lii Dei, Salvatoris crucifixi &c. Qvod explicatur pleniū Hebr. X, 29.
1. per tò conculcare Filium Dei, i. e. nihili facere, ejusq; meritum

C

non

Non aliter, qvām qvisq; vilias, rem vilissimam & abjectissimam, reputare. 2. per τ communem seu pollutum, *ducere sanguinem fæderis*, (vide Zach. IX, 11.) quo sanctificati sunt, i.e. habere hunc non pro sanctificationis principio, sed immunditia & iniqvitatis administro. 3. per τ contumeliā afficere *Spiritum gratiæ*, i.e. operationes ejus, qvibus perficitur & terminatur salutis negotium. Iudibrio excipere, & in lusum convertere; (Qvæ omnia dictu & cogitatu tremenda) Atq; hinc vocatur peccatum in Spiritum S. Hoc ipsum verò judicio ipsius Christi, irremissibile est, Matth. XII, 23. conf. i. Joh. V, 19. ubi τ ad mortem strictè accipitur pro summè mortifero.
Nota. 1. Christum denuo crucifigere, ignominia exponere (qvod qvè hujus exegeticon) Filium Dei conculcare, item Spiritum gratiæ contumeliā afficere, nihil aliud re ipsa est, qvām media omnia ad conversionem & salutem ordinata, malitiosè rejicere, & sic destinatà voluntate converti & salvare nolle. 2. Unde & illud $\alpha \nu \sigma \tau \nu \rho \eta \nu \tau \alpha \nu \tau \eta \nu \tau \alpha \nu \tau \eta \nu$ εαντοις τὸν τὸν θεόν, ηγε προδειγματίζοντας immediate postponitur των ἀδύνατον, πάλιν ὀραγνώσκειν εἰς ματίνοις, tanquam proxima & adæquata impossibilitatis hujus causa. *Excipies*, ad locum Hebr. X, 29. 1. peccatum in Spiritum S. non esse solum αμάρτησις επιθυμία, delictum spontaneum, ex actu voluntatis elicito profectum. *Resp.* Conjugatur versiculus 29. ceu prioris 26. exegeticus, & apparebit, τ sponte peccare, non hic generaliter & in amplitudine, sed καὶ ἐξοχὴ in restrictione ad seqventem deinceps descriptionem, accipiendum. Aliud est in hoc illudvè peccatum sponte prolabi, aliud verò remedium adversus omnia peccata sponte, & quidem totaliter & finaliter repudiare, (utut hoc ex uno voluntario lapsu originem trahere possit.) Neq; enim peccator in Spiritum S. pro peccatore communi, (qvomodo omnem hominem ex intentione Dei diximus esse subiectū pœnitentiæ, Thes. XI. XII. XIII.) sed pro summè blasphemō & implacabili hoste ac oppugnatore gratiæ Dei, & meriti Christi, omnibus peccatis oppositi, hominibus per Spiritum S. applicandi, habendus est. 2. *Excipies*, per τ non superesse hostiam pro peccatis, significari defectum satisfactionis ad expiationem.

Resp.

Reſp. Notanter dicitur in textu; non relinqvi hostiam *enī, amplius,*
ad huc; siqvidem unica tantum est hostia, nempē Christus, qvā re-
pulsā, non restat alia: Eſtq; unius illius rejectio, non ſolū ſuffi-
cientiſſima, ſed & proxima ac adæqvata; qvin imo, accedente
summo contemptū gradu, eminentiſſima ad damnationem cau-
ſa. II. Objicitur exemplum Esavi, qui dicitur reprobatus, nec in-
veniſſe locum pœnitentiæ, *Hebr. XII, 17.* *Reſp.* Non eſt hīc ſermo
de pœnitentiā, qvoad malum culpa, ſed pœnæ, & qvidem non re-
ſpectu œconomia Dei, ſed patris Iſaaci, revocare nolentis bene-
diſſionem Jacobo collatam, *vid. hiſtoria, Gen. XXVII, 33.* DICES.
Hāc ratione perire vim argumenti Apoſtolici comparativam, ter-
rentem imagine Esavi omnes ſcortatores & profanos. Præterea
lachrymas eſſe ſignum pœnitentiæ. *Reſp.* Si in prædicto caſu tri-
buenda Esavo pœnitentiā, falſa hāc fuit, non vera: Neq; enim iſ,
tām ſollicitus erat de offenſo per ſcortationem & temeritatem
Deo, qvam obtinendæ per benediſſionem paternam terrenæ &
temporali felicitati, pro ingenio & more ſuo, inhiabat. Hoc ſi
applicetur ad eos, qui contriſtantur, non tām de amissā per pecca-
tum gratiā Dei, qvā de denegatiā ſibi proſperitate mundanā, tem-
porariā; potest utiq; ſcortatores & profanos, eosq; de his & ſimi-
libus deliſtiſ ſeriō ac ſalutariter non dolentes, vel ex eo maximē
terrere, qvod omnis horum conatus, omnes lachrymæ, omniaq;
exteriora, ſpeciem pœnitentiæ præfeſerentia, judicio Dei vana
ſint & irrita; in qvas vanitates, ne qvis poſt commiſſum peccatum
incidat, principiis obſtendum, nec in ullam carniſ concupiſcen-
tiā conſentendum. III. Objiciuntur phraſes Scripturæ lo-
quentiſ de remiſſione peccatorum, itā viſa dubitativæ, qvaleſ ſunt,
forte, utinam, qvis ſcit, & harum ſimiles. *Reſp.* Formulae tales,
præterqvam qvod præciſe in textu originali, non ſunt alicuius du-
bitantiſ, ſed benē cumprimiſ, in ſeriā modeſtiā ac humilitate, ſpe-
rantia, oprantia, aliosq; ad hoc animantia; non tām ipsam pecca-
torum remiſſionem, qvæ certiſſima eſt, vi promiſſionum Dei uni-
verſaliū verā fide apprehenſarum, qvā averſionem pœnarum
temporaliū, œconomia Dei reſervatarum, concerñit. *Joel. II, 14.*
&c. IV. Objicitur argumentum à ratione, qvod doctriṇa de

pœnitentia & absolutione lapsorum post baptismum, fores pandere videatur licentia & securitati carnis. *Reſp.* Id verò est, qvod non semel suprà negavimus: vide Thes. XXXVII. membr. 5. 6. item theſ. XXXIX. circà finem. Duo scopuli ſunt, iicq; ſibi in- vicem oppoſiti, pariter devitandi, desperatio nimirum, & ſecuri- tas carnalis, nec minùs hujus, qvā illius deteſtatio, hoc præfer- tim tempore identidem inculcanda.

XL. Occaſione controverſia decisæ, offert ſe *Cafus Conſciencie*; qvomodò agendum cum hujusmodi tentatiſ peccatoribus, qui ſummiſ terroribus & angoribus cordis, in fervore tentatio- num, conſtricti, putant, adiutum ſibi præcluſum eſſe à Deo ad pœnitentiam, & peccatorum veniam. *Reſp.* Inculcanda hiſ ipſis *εν τοι δέ ξει πνέυματι*, vis argumentorū paulò antè th. XXXVIII. propoſitorum. Qvod ſi regerent; Ad ſe illa applicari non poſſe, ceu reos peccati in Spiritum S. Hic qværendum ex iis, an dele- ſtentur adhuc ullo peccato, aut peccandi conſvetudine; item, num meritum Christi destinatā voluntate ac pertinaciter rejici- ant, & operationes Spiritus gratiæ ludibrio exponant (qvæ pro- prietates ſunt peccantis contrà Spiritum Dei. vide th. præced.) Si negaverint; negetur fortissimè, reos ſe eſſe blaſphemiae Spiritus, ut irremiſſibilis. Qvod ſi reponant, non ſentire ſe motum ad pœnitentiam, & hoc ſignum eſſe judiciariæ indurationis, reproba- tionis, deſertionis, cum subtractione Spiritus S. & gratiæ diuinæ omnimodâ. Hic iterum qværatur, annon de admittiſ ſeriō do- leant, vel facta numnè cupiant infecta, item, annè deſiderent Deum, ut Patrem propitium, velintq; ſe participes eſſe gratiæ diuinæ cum aliis peccatoribus? Si affirmaverint, vel ſaltim optare ſe dixerint, ut cupere aut velle iſta poſſent; demonſtretur firmiter, hoc iſum dolere, deſiderare, velle, imò optare hoc, eſſe bo- num ſpirituale, & opus ſoliuſ Dei, adſcribendum non carni & ſangvini, ſed Spiritui Sancto & gratiæ Diuinæ, eiq; neq; neq; vnam abſenti, aut tētatis præclusa, ſed præſenti, moventi & invitanti per hoc ad resipiſcentiam: eò qvod non ſolū perficere, ſed & velle in nobis Deus operatur, qvodq; ex nobis ipſis idonei non ſumus ad cogitandum aliquid boni, nedum optandum. *Phil. II, 13. II. Cor. III, 5.*

Sed

Sed hæc & cætera in tali casu adhibēda, eaq; in ipsâ hypothesi, pro statu ac conditione tentatorū, nec nō temptationis qualitate, velut maximè singularia, Christianæ cujuslibet prudentiæ, secundum gratiam Chrismatis docentis nos omnia ex Verbo Dei, cuius di vitiæ inexhaustæ sunt, committimus; addentes commonefactio nem, ut sibi quisq; caveat, ne dum peccare potest, peccando sibi accersat temptationis illud barathrum, cuius eventus in manu hominis non est: Si verò in id inciderit, peccato admisso, ne tūm desperet, utpotè injurius hoc ipso & contumeliosus futurus in meritum Christi, gratiam & veritatem Dei.

ARTICULUS II.

De Formâ & Partibus poenitentiæ.

XLI. FORMA poenitentiæ consistit in mutatione cordis à malo ad bonum, eāq; non quâvis, sed certo conversionis modo determinatâ, extrâ qvem mutatio cordis à malo ad bonum in latitudine quâdam accepta, communis est poenitentiæ cum aliis operibus gratiæ Dei, ut regeneratione, justificatione, renovatio ne &c. qvæ utut sint conjuncta, atq; ad communem humani generis reparationem tendant, inter se tamē formaliter distincta sunt.

XLII. Modus conversionis, seu mutationis, ipsi poenitentiæ peculiaris ac proprius, absolvitur partim Contritione mentis de peccato dolentis, partim Fide in Christum Mediatorem, prostrata mentem erigente; & utrâq; qvidem seriæ ac vivâ, includéte Bonum propositum, nec cum malo ullatenus subsistente. His mutatur seu convertitur homo à peccato ad non peccandum, à statu corruptionis & mortis ad statu regenerationis & vitæ spiritualis, à facto post baptismum vel regenerationem, per lapsus contrâ conscientiam actuales, qvi in pristinu, eumq; naturâ contractum irâ statu, peccatorem pejori ratione reponunt, naufragio salutis ac fidei ad earundem recuperationem; à motibus & suggestionibus veteris hominis, ad illius mortificationem, & continuam Spiritus renovationem, eamq; subinde, qvoad gradus suos ampliorem. Atq; ita conversus, seu mutatus, resipiscere, vel poenitentiam agere dicitur.

XLIII. Contrito & Fides sunt partes, qvibus constat poenitentia.

nitentia. *Nota.* Forma pœnitentiae & partes ejus junctim sumptæ, re eadem sunt.

XLIV. CONTRITIO describitur in Scripturâ S. per cordis λύτην, dolorem, ut parturientis, *II. Cor. VII, 9. 10. 11. conf. Job. XVI, 21.* πίνδον luctum, ut jacturam pretiosi boni moerentis, *Matth. V, 4.* *I. Cor. V, 2.* קְרֵב scissionem, ut vestes lacerantis, *Joël. II, 13.* טִילָת circumcisionem, ut præputium amputati, בְּקַר percusionem vel plagam, ut vulnerati, *Isa. LXVI, 2.* קְרִינָה compunctionem, ut transfixi, *Act. II, 37.* קְשָׁבֶר confractioem, velut ossium crurifragio disruptorum, רְפִירָה contusionem, ut lapidis mortario comminuti, fluctuum collisione attritorum *Isa. LVII, 15.* *Psalm. LI, 19.* Νέκρωσιν mortificationem, ut victima jugulata, maectatæ, cremate, *Col. III, 5.* *II. Cor. IV, 10.* Expendatur quoq; nexus i vers. 18. § 19. *Ps. LI.* in collatione & oppositione sacrificii corporei & spiritualis, conf. *Rom. XII, 1. &c.* *Nota.* 1. Hæc & horum similia, et si generatim omnes contritionis & pœnitentiae actus includunt, speciatim tamen & κατ' εξοχὴν formam contritionis strictè sumptam exprimunt. 2. Compunction & tristitia alia est ad mortem, alia ad salutem, *Rom. XI, 8.* *Act. II, 37.* *II. Cor. VII, 10.* Non illa, sed hæc præsentis considerationis est.

XLV. Actus contritionis, aliis præparatorius est & antecedens, aliis formalis & principalis, aliis deniq; concomitans & cum formali arctissimè connexus.

XLVI. Præparatorius actus est commotio (pavor, trepidatio) ad Verbum Domini *Isa. LXVI, 2.* *Act. II, 36. 73.* *Nota.* Commotio hæc, diverso respectu, contritionis formam antecedit, ingreditur, concomitatur, & consequitur, estq; respectu salutaris pœnitentiae, commotio non servilis, sed filialis.

XLVII. Involvit 1. considerationem & venerationem Dei, tam ratione essentiae & majestatis incomprehensibilis, tremenda; quam ratione officii, ut absoluti Domini & Benefactoris summi, suprà omnia amandi, colendi, timendi. *Dan. IX, 4.* *Act. XVII, 24. seqq.* *II. Sam. XII, 7. seqq.* 2. Agnitionem, partim peccati offendit bonum hoc infinitum, *Psalm. LI, 5. 6.* partim reatus, afferentis

rentis secum pœnas tūm damni, ut jacturam gratia: divinæ, tūm
sensus, easq; vel immissas à Deo, sive internas, ut terr ores cōscien-
tiæ iram Dei sentientis, sive externas, plagas nempe corporeas,
Psalm. VI, 2, 3, seq. Psalm. XXXVIII, &c. vel immittendas, & quidem
ex merito maximas, easq; non solum temporarias, sed & æternas.
Psalm. VI, 6. Iesa. XXXVIII, 10. seqq. Principium contritionis, &
conseqventer venerationis ac agnitionis dictæ, est Verbum Domi-
ni, habens vim commovendi & compungendi corda. *Iesa. LXVI, 2.*
Aet. II, 36. 37.

XLVIII. Hic qvaritur 1. *An reqviratur in specie omnium dei-
litorum, notitia?* Resp. Tantum perfectionis gradum in nobis ne-
gat Scriptura, *Psalm. XIX, 13. Psalm. XC, 8.* Delicta quis intelligit. Oc-
culta nostra proponis (Deus) lumini faciei tuæ. Sufficit agnoscere
peccata cuivis nostrum cognita, & simul in genere, æstimare se
cum Apostolo & omnibus Sanctis, verè ac serio, peccatorei non
minimum, sed maximum plurimis iniquitatibus, notis pariter &
ignotis oneratum, *Rom. VII. Psalm. XXXII, 6. &c.* aliisq; hominibus,
etiam nobis visis pessimis, qvos, quo loco semper sint in conspectu
Dei, non scimus, longè inferiorem. 2. qvaritur, *An terror ad contri-
tionem sit necessarius?* Resp. Terror ob iram Dei, distinctus à dolore,
alius servilis est, qui fide destituitur; alius filialis, cui se se insinuat &
admisceret fides, *Iesa. LXVI, 2.* Non Hic, sed Ille à salutari cōtritione
excluditur. Præterea distingvendum inter ipsum terrorem men-
tis, ut à nobis ex lege conceptum, qui licet non omnino inutilis
sit, præcisè tamen ad contritionem non reqviritur; & inter agni-
tionem territorii, ut pœnae peccati à Deo immissæ, quam suprà
retulimus ad actus contritionis præparatorios. 3. Qvaritur, *An la-
cum hic habeat agnitio futurorum pœnarum?* (puta temporalium &
externarum; Reatus enim & maledictio animæ, juxta cum debito
æterni supplici, remisso peccato statim tollitur.) Resp. Agnitio
hæc aut conjuncta est cum metu mentis, ad futuras plagas servili-
ter trepidantis, aut non conjuncta; eaq; non tam actum immissio-
nis plagarum à Deo futuræ, quem cordi patrio & œconomia: divi-
næ mens contrita humiliter relinquit, quam jus immittendi pœ-
nas quascunq; gravissimas peccatis nostris debitas respicit. Non
IIIa,

illa, sed Hæc necessaria est: Neq; enim verè pœnitentes, tam for-
midine pœnae, quam amore Dei (ob fidem contritioni sese appli-
cantem) & huic innexo in peccatum odio conteruntur.

X L I X. *Formalis & principalis actus contritionis est debi-*
ta tristitia seu dolor, in interioribus cordis conceptus, de omni
peccato, velut avopia, Deo summè exosâ, eum graviter offenden-
te, iram illius concitante, gratiam perdente & propellente, adeoq;
in ipsam Majestatem Dei, & Verbum ejus, ut & in nos, nostrumq;
corpus & animam, quorum salutis cupidus est Deus, nec non in
alias Dei creaturas injuriâ & contumeliosâ.

L. *Qualitatem doloris seu contritionis, ut nempè sit inter-*
na, vera, seria &c. ostendunt descriptiones suprà th. XLIV. ex Sa-
cris traditæ. De Quantitate verò quæritur, An videlicet requiratur
certus doloris gradus, & quantum ille esse debeat? Resp. 1. Dolor pecca-
tis æqvivalens, vel pro iis satisfaciens, in merum hominem non ca-
dit, nec à nobis quidem ullibi in Scripturâ exigitur. Ablegamur
hic omnes ad Christum, in cuius solius exquisitissimis & perfectissi-
mis doloribus, iisq; non ob inhærentes & proprias, quas non ha-
buit, sed imputatas libi offensas, in substitutione vicariâ, toleratis,
unicum, idq; sufficientissimum pro omnibus omnium hominum
peccatis, minimis, maximis, λύτρον repositum est. 2. Omnis tri-
stitia fide non temperata vel ad desperationem, vel Epicuræam se-
curitatem homines adigit. 3. Rigor doloris ad summum usq; gra-
dum exactus, conscientiarum carnificina est, Verbo Dei adversa.
4. Non respicit Deus judicio gratiæ, quantum sit dolor pœnitentis,
magnusne an parvus, sed qualis sit, verusne an falsus, cordis to-
tius, an partis.
5. Dolor salutaris, et si noster, & in nobis, tanquam
subjecto est, non tamen ex nobis, sed à Deo, ut principio est. Huic
ergò debentur omnes contritionis gradus, quos ipse in his & illis
diversimodè, juxta quantitatem peccatorum, & proportionem
collatarum virium gratiæ, sive minores, sive majores, pro benepla-
cito suo, creare & excitare constituit.
6. Tantus sit dolor, quan-
tum virtus Verbi compungentis, divini, & motus gratiæ cœlestis
(cujus dispensatio semper & ubiq; æqualis non est) hujus vel illius
cordi imprimit, *Iesa. LXVI, 2.*
7. Verè pœnitens nullos consciencias sti-

tiæ stimulos dolorificos, cordi ad compungendum & corrigendum hoc, à Deo infixos; sive parcente carni & sanguini indulgentiam probrosam, sive metu consumptionis & desperationis (qui vanus hic est, ob viscera misericordia Dei, non hominum perditionem, sed vitam ac salutem quovis modo querentis) ullâ ratione unquam contemnit, obtundit, reprimit, aut extinguit: quin omnes potius contritionis aculeos, seu leviores, seu graviores, velut divinum remedium, adversus lethalem animæ luem, patienter recipit.

L I. *Concomitans* & cum dolore cohærens actus, est partim detestatio & execratio peccati seria, cum odio, inimicitia, Zelo, adversus id concepto, implacabili: *Pf VI. Pf XXXVIII, 6. seqq.* partim humiliatio mentis, se ipsam estimatione impuritatis & indignitatis suæ, ad pedes Dei abjicientis, *Luc. XV, 21.*

L II. Altera pars, eaq; potissima, ut potè constituens & perficiens poenitentiam, FIDES est, cuius respectu contritio se habet, ut præsuppositum vel antecedens, & Nova obedientia, ut consequens actum conversionis principalem ac consummatum. *Nota.* Quemadmodum contritio, sic & fides suos distinctos actus habet.

L III. Actus fidei *præparatorius* est sitis, h.e. desiderium gratiæ & justitiæ per promissiones Christum mediatorem monstrantes Evangelicas, in corde lugente & paupere (gratiæ ac justitiæ indigente) uno nomine contrito, genitum & accensum, *Matth. V, 3-45. Nota.* 1. Desiderium hoc, pro diverso respectu, non solum præcedit, sed & ingreditur, concomitatur & consequebitur fidem. *Præcedit* formalem & principalem fidei actum, non tempore, sed ordine, & hoc modo vocatur actus præparatorius, quatenus nempè monstratam in Christo voce Evangelii Justitiam desidero, sicq; desideratam fiducialiter apprehendo. *Ingreditur* & *concomitatur* fidem, tanquam proprietas, fiduciæ cordis innexa & connexa. *Consequitur* deniq; quatenus sitis hæc, excitata dulcedine Justitiae Christi, in fide percepta, non modo perdurat in homine converso, sed crescit & augetur, inq; ampliores subinde gradus gratiæ, quorum terminus vita æterna est, provehitur. 2. Desiderium Justitiae, ut actus præparatorius, est scintilla fidei prima, concione Evangelii suscitata. Et hujus respectu fides sese contritioni, illico & quasi

D

infensi-

insensibiliter insinuat, dolorisq; vehementia temperat, immo ipsam
cōtritionem Deo gratam ac salutarem efficit, ut sit, & verē dicatar
λύτης ἡρώς, II. Cor. VII, 8. Tametsi interim fides & contritio for-
mā differunt. 3. Desiderium Justitiae, & formalis actus fidei, licet
formaliter distincta sint, re tamen inter se conveniunt.

LIV. *Formalis & Principalis* fidei actus est fiducia in Christum, ex Verbo Evangelii cognitum & agnatum, quatenus eum, ut propitiatorium, omnibus peccatoribus a Deo propositū, & in hoc Deum reconciliatum mens contrita sibi fiducialiter apprehendit, apprehensum peccato opponit, & judicio Dei ad justificationem vel absolutionem sui a reatu, sistit, atq; hoc ipso veniam peccatorum impetrat.

LV. Fiduciae *innexus* est Amor in Christum propitiatorium Deumq; in Christo propitium, isq; accensus ac productus amore Mediatoris & Patris, peccata delentis, condonantis, tanquam suo fonte vel principio: Hinc gradus admittit, pro quantitate vel pluralitate remissorum debitorum, minores, maiores. *Luc. VII, 47.*

LVI. *Concomitans* actus, qui cum fide cordis contriti arctissimè & inseparabiliter cohæret, ejusdemq; proprietas, est NOVA OBEDIENTIA, ex amore Dei proveniens. *Obedientia* vocatur, de jure obseqvii, Redemptori, Domino a servis redemptis, Patri reconciliato a filiis in gratiam receptis, debito. *Nova* dicitur, ob renovationem mentis in Spiritu. Complectitur in se duo, bonum propositum, de emendatione totius vitae, & studium bonorum operum in exercitio positum: Illud vocatur Nova Obedientia in affectu; *Hoc* in effectu.

LVII. *Bonum propositum*, præsertim eorum, qui magnis multisq; infirmitatibus obnoxii sunt, dummodo sit serium, non hypocriticum, φιλανθρωπία Dei pro facto reputat. Interim verē pœnitentium & credentium est, non in proposito duntaxat subsistere, sed quantocunq; & quantisper tempus & occasionem bene operandi invenerint, ad exercitium continuo progredi; Si quidem malum operantur, omittentes, vel non operantes quod bonum est, &c.

LVIII. *Exercitium* hoc absolvitur, partim actionibus per Spir-

Spiritum S. productis, eisq; ad classes operum Castitatis, Justitiae,
Pietatis, operum Charitatis in Deum & homines, pertinentibus;
partim passionibus, juxta beneplacitum & oecconomiam Dei im-
missis. Hinc obedientia fidelium alia activa, alia passiva, juxta
imaginem ac similitudinem obedientiae Christi, tam activae, quam
passivae, & utriusq; qvidem, non quatenus meritoria aut satisfa-
ctoria, sed quatenus imitatoria est.

LIX. Qvaritur hic, I. *Utrum nova obedientia sit pars, an fructus pœnitentiae?* Resp. 1. Nova obedientia, quæ in effectu vel exerci-
tio consistit, non pars, sed fructus pœnitentiae est. 2. Obedientia
verò in affectu posita, seu pium propositum emendandi totam vitam,
pars est, & partibus pœnitentiae accensenda. Sinè hoc enim, sive
sit stabile, sive debile, non potest esse mutatio mentis à malo ad
bonum. Quid, negato proposito bono, ponitur malum, & hoc
posito, negatur vera fides, negatur vera, seria, salutaris pœnitentia.
Laudamus hic meritò tritum illud Germanorum. Nicht mehr
thuen wollen ist die beste Busse. 3. Partem dicimus, non divisam, aut
seorsim constituendam, sed duabus partibus contritioni & fidei
annexam & inclusam.

LX. Hinc. II. Qvaritur, utri accensenda, fideinè an contritio-
ni? Resp. Utriq; & qvidem principaliter ac immediatè fidei, conse-
quenter contritioni, quatenus ob fidem se se huic insinuantem, sa-
lutaris est; eò qvod absq; fide nullum sit spirituale, Deoq; placens
propositum, vel opus, *Hebr. XI, 6.*

LXI. Fuit haec tenus forma pœnitentiae *essentialis* & *interna*,
certis partibus, eisq; interioribns determinata. Seqvitur forma
accidentalis, & *externa*: ad quam, præter considerationem *temporis*
oportuni, duo in primis pertinent, *Confessio*, & *Satisfactio*, qibus
subjiciuntur *Signa* exteriora alia, mentis mutationem declarantia.

LXII. De Tempore qvaritur, num præceptum vel monitum de
agendâ pœnitentiâ, perpetuo & qvovis indifferenter, an certo duntaxat ac
definito tempore hominem obliget? item, qvod & quale tempus sit opor-
tunum, & conveniens resipiscencia? Resp. 1. Pœnitentia Sanctorum
habens pro objecto quotidianas horum infirmitates, continua est,
& qvoad hauc vitam perpetua, nec ad certum tempus adstricta, ob-

Iuctam carnis & Spiritus continuam Rom. VII. &c. 2. Specialis & strictè dicta pœnitentia, qvæ versatur círcà lapsus grandiores, perpetua ac continua non est. Identidem enim, seu iterum, iterumq; labi, ipsamq; adeò pœnitentiam in lusum vertere, à semel conversis & verè renatis, sub dispendio æternæ salutis, absit! 3. Lapsus peccator, simulac motum Dei in conscientiâ sentit, statim resurget, nec pœnitentiam vel in momentum differat. 4. Reminiscientiam præteriorum lapsuum, & indulxæ ex mera Dei misericordiâ spiritualis resurrectionis, pro conservando adversus carnalem securitatem timore ac tremore indeſinenti, intermori & intercedere apud renatos, ipse Spiritus regenerationis, qui in eis habitat, quantum in ſe eſt, non permittit. 5. Qvod attinet verò ſolennem illam pœnitentiam, qvæ abſolutioni Ecclesiasticæ, & S. Evchariſtiæ præmittenda, uti hiſ, ſic & illi certum tempus, præfinitum non eſt. Indicere hoc poterit cui libet renato, tūm ſenſus laborum & onerum conſcientiæ, tūm indigentia ac deſiderium animæ, qvodq; principale eſt, diſtamen & motus Spiritus S. 6. De cætero, ſanè oportunum ſatis & aptiſſimum pœnitentiæ tempus, eſt dies ille salutis, tempus illud acceptum, Jer. XLIX, 8. II. Cor. VI, 1. 2. præſen- tis viæ terminis, ultrâ qvos non porrigitur, concludum; idq; citrâ moram, qvotiescunq; viſ Verbi divini, & ex eâ ſtimuli cor compungentes ſentiuntur, redimendum. 7. Valeat apud omnes tre- menda illa vox Dei, Prophetica pariter & Apoſtolica, Psal. XCV, 8. Hebr III, 7. ſeqq. c. IV, 7. Hodie, ſi vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda veſtra: Neq; enim præteritum & futurum, heſternum & cra- ſtinum, ſed ſolum HODIE, idq; vix, instans, punctum, momentum, præcisè ex indulgentiâ Dei noſtrum eſt.

LXIII. CONFESSIO eſt testimonium de contritione, fi- de, & bono proposito cordis. Tria ergo hæc veræ ac integræ con- fessionis objecta ſimul & partes ſunt. Organum ejus principale manifestans conceptus cordis, eſt os & lingua...

LXIV. Dividitur Confefſio, partim in eam, qvæ fit imme- diatè coram Deo, & quidem ~~et~~ ~~in~~, in conclavi occluſo, (factâ oppositione inter Confefſionem ſeriam ſeu veram, & falſam ſeu hypocriticam) Psalm. XXXII, 5. Mattb. VI, 6. Partim in eam, qvæ fit coram

coram Hominibus, in conspectu Dei: Et hæc vel communis est, vel solennis. *Communis* fit coram proximo; eoq; vel amico, ad consolationem; vel offenso, ad reconciliationem, *Mattb. V, 23. 24. 25*, *Solennis* iterum aut publica est, aut privata. *Publica* fit coram totâ Ecclesiâ; & hæc vel *universalis* ac totius communionis, vel *singularis* & certæ alicujus personæ est. *Illijs* causa præcipua, est publicum & commune delictum, ab omnibus aut plurimis perpetratum, item quæ reatus ex communicatione delicti unius vel plurium per consensum, conniventiam, aut alio qyovis modo contractus, qvæ publicarum cladij & calamitarum fontes sunt, ut *Exod XXXII. Num. XXI. C. XXV.* *Hujus* causa est Scandalum, Ecclesiæ datum, per crimen publicè notum (occulta enim, vel uni alterivè duntaxat cognita, cum de pœnitentiâ constat, non in lucem raptanda, sed tegumento charitatis involvenda, *Mattb. XVIII, 15. Gal. VI, 1. I. Pet. IV, 8.*) *Nota.* Publica dicitur ratione objecti, nempe carthus publici; Sivè peragatur coram tota Ecclesiâ immediate, ab ipsis peccatoribus, uno vel pluribus, *Num. XXI, 7. Jos. VII, 19. 20. seqq.* Sivè mediante voce Ministri, sententiam sivè communionis, sivè certarum personarum pœnitentium, publicè referéatis, *Exod. XXXII, 30. seqq. Lev. XVI, 21. Dan. IX, 45. seqq. in primis 20. II. Cor. II, 6. seqq. Joël. II, 17.*

LXV. *Private* confessio fit coram Ecclesiæ ministro. De hujus *fundamento* si qværas, ponimus rationem ejus in potestate Clavium solventis & ligantis, aperientis & claudentis, eaq; non solum in genere, vi communis Verbi, omnibus, pro statu distincto, sed & singulis in specie, præviâ sufficienti probatione & exploratione (pro dupli & diverso suo respectu) applicandâ, *Joh. XX, 23.* Si qværas de *necessitate* & *utilitate*, dicimus utilem & necessariam esse Confessionem, & huic respondentem absolutionem privatam (qvam auricularem appellant) i. Ad inqvirendum & explorandum, qvinam accedant pro confvetudine, qvinam in veritate, qvinam digni ad S. Eucharistiam admittendi, qvinam indigni, ab eâdem arcendi? 2. Ad informandum, movendum, & excitandum singulos singulariter. *Informandum* rudiores, eosq; in primis, qui naturæ & partium salutaris pœnitentiæ, item, doctrinæ de Christo, & Coenâ S. satis gnari non sunt. *Movendum* frigidora, minusq; sub-

acta pectora, ut sentiant in se vim verbi compungentis. Excitandum in infirmioribus, tūm dignæ præparationis studium, tūm ardentius gratiæ divinæ desiderium. 3. Ad instillandum ex Verbo Dei, cujuslibet pœnitentis animo, non alienum seu peregrinum, sed proprium, & exploratis probè singulorum tentationibus ac doloribus, qvorum non ubiq; eadem ratio & conditio est, conveniens ac adæqvatum solatium.

LXVI. Qvaritur h̄ic, *An ad Confessionem necessariò requiratur omnium omnino delictorum enumeratio?* Idem h̄ic respondemus, qvod suprà ab initio theseos XLVIII. de agnitione peccatorum omnium, ex *Psalm. XIX. & XC.* respondimus. Hâc enim negatâ, ut causâ, negatur & illa, ut effectus.

LXVII. SATISFACTIONEM, h.l. intelligimus, non qvæ fit Deo; Huic enim nulla prorsus à nobis præstari potest. Sufficien-tissimam verò, & perfectissimè coram Deo valentem, præstitit no-stri loco solus Christus. Et hæc, qvatenùs fit nostra, ex apprehen-sione per fidem, non ad accidentalem, sed essentialem salutaris pœnitentiæ formam pertinet. Spectamus h̄ic igitur non nisi satis-factionem Hominibus præstandam. Et hæc vel communis est, vel solemnis. *Communis* fit tūm per privatam Confessionem, offen-sas coram proximo à nobis læso deprecantem, *Matth. V, 25.* tūm per damnorum refectionem, ablitorum vel interversorum, sive corundem, sive æqvivalentium restitutionem, aut his deficienti-bus, per aliam qvamcunq; compensationem, sive hæc fiat per pre-ces apud Deum, sive per opera charitatis cœtera. *Notz.* Retentio ablitorum, & compensationis possibilis denegatio, reddit pœni-tentiam & absolutionem irritam.

LXVIII. *Solennis* fit per confessionem publicam, qvæ decla-ratio pœnitentia est, & vulgari acceptione vocatur *Publica Pœnitentia*. Hujus finis & effectus, non est coercitio politica, non infamia vel ignominia deprecantium; sed partim exploratio animorum verè pœnitentium, partim reconciliatio cum Ecclesiâ scandaliza-tâ, partim commonefactio, deterrens à peccatis reliquos. Hâc (qvod observandum) sicuti usum publicæ pœnitentiæ, qualis olim viguit, receptum in primitivâ Ecclesiâ, legitimum, ut partem disce-plinæ

plinae spiritualis Ecclesiastice, ob dictas causas, utilern ac necessaria-
riam, omnino probamus: ita abusum ordinationibus sacris adver-
sum, in quæ hodiè illa, proh! dolor, non uno loco degeneravit, quâ-
dò vel ad viliores juxta ~~ægστωμληψίαν~~ restringitur, vel, non sa-
tis antè exploratâ seriâ cordis pœnitentiâ, non emendandi pro-
posito, non amore spontaneo, qui gloriæ Deo coram Ecclesiâ dan-
dæ sit cupidus, sufficienter, ut fas erat, probatis; sed mente pecca-
toris, vel peccatarieis reclamante ac invitâ (quæ ipsa tamen virtute
Verbi divini fideliter fuerat compungenda) in coactionem quan-
dam Mosaicam (ne dicam hîc, de turpi quæstu & exsecrando quo-
dam mercatu) iniquè convertitur, tanquam publicam elusionem
Dei & Ecclesiæ, quæ Christi, non mundi, regnum est, juxta cum a-
liorum modernorum abusuum, confusionum & abominationum
colluvie, quam in Ecclesiam Dei invexit Satan, ut certissimam
desolationis causam, amore Dei meritò culpamus & damnamus.

LXIX. *Nota.* A Confessione & satisfactione, ut & aliis qui
buscunq; signis, internam cordis pœnitentiam ad extrâ declaran-
tibus, omnis opinio meriti & confidentia carnalis, cultum Dei
non nisi in exterioribus collocantis, ut potè injuria in meritū san-
gvinis & mortis Christi unicum & solitarium, idq; interiori cordis
fiduciâ apprehendendum, planissimè removenda. *Jesa. I, 11. seqq.*
Joel. II, 13. &c.

LXX. *Signorum pœnitentiae, in specie contritionis, alia di-
cuntur extraordinaria & singularia, ut fuerunt percussio pectoris
& fœmoris, *Luc. XVIII, 13. Jer. XXXI, 19.* Capillorum evulsio, *Ezr. IX,
3. 4. &c.* Scissio vestium *Jer. XXXVI, 24.* Sacci vel cilicii, h.e. vilio-
rum vestimentorum applicatio *Jon. III, 5. 8. Joel. I, 13. Jesa. XXXVII, 1.*
Item humi (in pulvere) decumbere, *II. Sam. XII, 16. Psalm. VI.* Super
caput cineres vel pulverem spargere, *Tbren. II, 10. II. Job. XLII, 6. &c.*
Alia ordinaria & communia magis, ut lachryma & jejunium, *Joel.
II, 12. 17.* idq; vel privatum vel publicum, exigente necessitate aut
calamitate publicâ indictum, *II. Sam. XII, 16. 17. seqq. Dan. IX, 3. Jon.
III, Joel. II, 12.* *Nota.* Hæc & horum similia habenda sunt pro docu-
mentis spiritualis contumelias viscerum, scissionis cordium, hu-
miliationis mentium, omni ornatu, honore, eminentiâ, decoro,
gratiâ,*

gratiā, gloriā, se prorsus indignas, & vicissim opprobrio, depressione, deformitate, abjectissimā conditione (qvalem referunt cinis, pulvis, terra &c.) plagisq; omnibus dignissimas propter peccata reputantium. Sic *Lachrymae* & fletus sunt signa animi, tūm de peccato dolentis & lugentis; tūm Deum sibi in Christo propitium ex toto de corde amantis. *Matt. XXVI, 25. Luc. VII, 38. 44. 47.* Itā *Jejunium* seu abstinentia à cibo & potu, fit signum boni propositi, à peccatis deinceps per Dei gratiam serio abstinenti, *Iesa. LVIII, 6.* Ethoc ipsum est, qvod intendit Scriptura, dum per συναπέστασιν invitat peccatores ad planetum, ad jejunium &c. i. e. ad seriam cordis pœnitentiam, qvæ his veluti externis indiciis, significata & manifestata, aliis innotescit, adeoq; ex invisibili per se, visibilis suo modo, & conspicua hoc ipso redditur.

LXXI. Cum ergo queritur, *quid statuendum de signis vel ceremoniis his & similibus?* Resp. 1. Non req̄iruntur illa, necessitate aliquā ad ad veram, eamq; internam pœnitentiā. Deus hīc non nisi cor poscit & respicit. 2. Optima, & evidentissima signa sunt fructus pœnitentiā digni, *Matt. III, 8.* in exercitio humilitatis, pietatis, charitatis, patientiae &c. positi. 3. Interim seria cordis pœnitentia ultrō sese exserit per membra gestusq; corporis, & alia quæcunq; indicia, maximē per lachrymas pœnitentiales. 4. Sed ista omnia ductui Spiritus Spontanei, qui nihil hīc sibi vult præscriptum, ejusq; dispensationi liberimæ in nobis, relinqvenda & subjicienda. 5. Serio & ubivis cavenda omnis hypocrisis vel simulatio pharisaica. *Matt. VI.* Vid. th. XXVIII.

LXXII. Progredimur ad *Controversias* de formā & partibus pœnitentiæ essentialibus, qvarum decisio consistit in constitutio-
ne verarum, & destructione falsarum partium. *Veras*, h. e. Con-
tritionem & Fidem, cum bono proposito, ex Scripturis suprā stabili-
livimus. *Objicitur* 1. de *Contritione*, qvod antecedat pœnitentiā
II. Cor. VII, 10. vid. thes. LII. Antecedens verò non sit pars rei, qyam
antecedit. Responsum ad hoc, *Thef. VI.* per qvinq; notas. Consid-
eratur enim pœnitentia & *Conversio* vel in viā, vel in termino; &
sumitur utrinq; μερικῶς, & qvidē respectu *illius* pro contritione,
respectu *bujus* pro fide, ut principalī actu cōversionis seu pœnitentia. Vel

tētiæ: vel deniq; consideratur in viâ & terminosimul; & accipitur
ἀληθῶς, ut h. I. Estq; opus aliquid totum, complexum, continens
partes & actus plures, qvorum primus Contritio est. 2. De Fide
Objicitur; hanc salutarem qvidem reddere, sed non constituere pœ-
nitentiam. Rep. Ista non opponenda, sed sibi invicem subordi-
dinanda sunt. Imò fides, dum salutarem reddit contritionem, hoc
ipso veram pœnitentiam, eamq; ad vitam ac remissionem pecca-
torum efficacem constituit. Objicitur 3. De bono proposito: qvod
per hoc infirmari gratuita promissio, & sic certitudo salutis perire
videatur, Rom. IV, 16. Rep. Distinguendo inter formam justifica-
tionis, & conversionis seu pœnitentia. Non illam, sed hanc, respe-
ctus novæ obedientiæ ingreditur: Et qvia utraq; arctissimo nexu
invicem coharent; tantum abest, ut infirmetur promissio, ut po-
tius ex Gratiâ justificantis nos Dei per fidē, hæc ipsa qvā maximè
stabilitiatur; idq; ad demonstrandam salutis certitudinem: qvæ ab-
soluta tamen non est, sed ordinata, præsupponens conditionem fi-
dei, & qvidē cordis contriti, cum bono proposito malū aversantis.

LXXIII. *Destruenda* nunc breviter partes *fītæ*, qvas Ponti-
ficii (*vid. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia*) statuunt esse non modò Con-
tritionem cordis (De erroribus, qvos circa hanc fovent, nihil nunc
dicemus amplius. Repetantur ea, qvæ suprà exposita sunt, thes. 48.
& 50.) sed & Confessionem oris, & Satisfactionem operis. Ex Cal-
vinianis verò sunt, qvi partes pœnitentia constituant mortifica-
tionem carnis, & vivificationem Spiritus, seu cessationem à malo
& studium boni. Nos dicimus, I. *Confessio & satisfactio non sunt
partes essentiales, sed adjuncta pœnitentia.* Intelligimus autem con-
fessionem & satisfactionem, non qvales consilia & traditiones
hominum finixerunt, vel fingunt, sed qvales Scriptura admittit.
(*vide thes. 63. 64. 65. 67. 68.*) adeoq; ab his errores Pontificios, qvi-
bus inadificantur sordidæ illæ, inq; gratiam Dei & meritum Chri-
sti injuriæ Indulgentiarum tabernæ, removemus (*vid. th. 66. 67. 68.
69.*) Qvibus remotis, statuimus qvidem eas necessarias, sed ut pro-
prietates exteriores (*vid. th. 61. 63. seqq. 67. seqq.*) non ut partes
pœnitentia. Argumentum I. *Qvicq; vid Deus non modò non re-
qvirit ad formam pœnitentia, sed, qvatenus est opus extrinsecum,*

à fide & bono proposito sejunctum, expressè rejicit, id non est pars pœnitentia. Confessionem & satisfactionem, non requirit Deus ad formam pœnitentia, imò, quatenus est opus extrinsecum, à fide & bono proposito sejunctum, expressè rejicit, *Jes. I.* (Hic notetur oppositio, inter vers. 11. 12. seqq. & inter vers. 16. 17. 18. 19. 20. Adde *Matth. VI. Joel. II, 13. &c.*) Ergò. 2. Arg. Sinè qvibus potest esse vera pœnitentia, non sunt partes eandem constituentes. Sinè satisfactione & confessione externâ, potest esse vera pœnitentia (quia hæc in affectu cordis consistit) Ergò. 3. Argum. Nullus actus externus, isq; interni operis declaratio, est illius pars & forma. Confessio & satisfactio est actus externus &c. vid. thes. LXI. seqq. Ergò. Dicimus II. *Mortificatio carnis & vivificatio Spiritus, vocibus his generatim & latè acceptis, non sunt partes pœnitentia strictè dictæ.* Concedimus qvidem inesse pœnitentia mortificationem carnis & vivificationem Spiritus: vid. thes. 44. At non omnis mortificatio & vivificatio est pœnitentia speciatim sumpta. Argumentum tale est. Forma & partes renovationis & obedientia novæ in effectu, non sunt partes & forma pœnitentia in affectu; Mortificatio & vivificatio sunt partes & forma renovationis & novæ obedientia in effectu, E. Objectiones utriusq; partis Pontificiorum & Calvinianorum, præterqvam qvod, ex præhabitâ & præcognitâ descriptione veratum pœnitentia partium, facile solvuntur, ad Discursum cum Deo remittimus.

ARTICULUS III.

De Causis, Efficiente & Fine, itemq; Effectu pœnitentia.

LXXIV. EFFICIENS *principalis*, est unus verus Deus, Personis Trinus, qui opus conversionis, gratiâ, potentia & actione divinâ, indivisâ, producit, *Psalm. CXIX, vers. ult. Luc. XV, 4. 8.* Ubi notetur vis comparationis parabolicæ. Sicut non ovium, sed solius Pastoris est, errantes in viam reducere: ita non hominum, sed solius Dei est, peccatores convertere & ab errore revocare, & quidem non renatos solum, sed & irrogenitos. Sic *Ezech. XXXVI, 26. Act. V, 31. Psalm. LI, 12.* Cor Novum (quale per pœnitentiam & conversionem efficitur) soli Deo tanquam donum gratiæ, & opus novæ crea-

væ creationis, nō solum ab initio, & in primo renovationis ac sanctificationis actu, quem strictè vocamus regenerationem & conversionem, sed & in progressu, seu actibus seqventibus, qui speciali nomine *renovationis* veniunt, tribuitur. Patri adscribitur opus conversionis, *Joh. VI, 44.* utpote trahenti (motibus gratiæ) quovadim veniunt ad Christum (per pœnitentiam). Item *Filio*, tanquam via pervenienti ad Patrem *Joh XIV, 6.* Nota. Nemo hominum, maximè adulorum, ad Deum accedere potest sine pœnitentiâ, seu fide cordis contriti. Peculiari verò ratione, ut omne opus sanctificationis, sic in specie conversio, *Spiritu Sancto*, ut Spiritu*aglowous*, competit, *I.Cor. XII, 3.* Nota. Dicere Dominum Jesum est fidei cordis conversi, conf. *Joh. XX, 28.* Unde & Ministerium Evangelii, ceu organum Dei ad pœnitentiam in cordibus hominum creandam, dicitur Ministerium Spiritus. *II.Cor. III, 6.8.* confer. *vers. 17.*

LXXV. Osculamur hic, & veneramur merito, *Gratiæ Dei prævenientem, operantem, cooperantem, consequentem.* *Prævenientis gratiæ Vocatio* est, quā Deus peccatorem, de pœnitentiâ & conversione sui non cogitantem, querit, movet, avocat, invitat; idq; non solum per lumen naturæ & notitiam naturalem, tam insitam, quam acquisitam (vid. Th. 9.) sed maximè & quidem salutiter, per Lumen gratiæ, h.e. vocem Evangelii, *Verbum salutis*, ministerium Spiritus, (quam re eadem.) *Verbo* inserviunt ac subordinantur *Pœna* & *Castigationes temporariae*, divinitus immissa, quarum finis, isq; à Deo principaliter intentus, est, tum ut omnes emendentur, tum ut consumptis incorrigibilibus, reliquia, variis tribulationibus attrita & extenuata convertantur, utq; macerata carne, reducatur ac servetur Spiritus, *Deut. XXX, 1. seqq. C. IV, 27. seqq. Jer. XXXI, 18. 19. Ies. VI, 9. 10. 11. 12. 13. C. X, 21. 22. 23.* Nota. Cum jubet nos Deus accedere ad se, hoc ipso jam prævenit suâ gratiâ accessuros, ut pater & mater prolem lapsam, infirmam, tenerimam, porrectione manuum eam non modo tenentis, vel ducentis, sed & erigentis. *Hos. XI, 3. Duxi Ephraim* (inquit Dominus) h.e. incedere feci, prout ire potuit vel debuit. Neq; n. solū erectis, euntibus, progressuris succurrat & opitulatur Dominus; sed & Ipse lapsos erigit, resurgere

furgeſe, & gradi facit, ſecundum, imò ſuprā ſimilitudinem Patris
Matriſvè mortalis, ceu nullas ad ſurgendum & incedendum vires
interiores proli communicatingant. Operantis gratiæ, eſt illuminatio
mentis, ad agnoscendum, & ſanctificatio ac vivificatio voluntatis,
ad reprobandum malum & eligendum bonum, Aet. XVI, 14. II.
Cor. III, 5. Ezech. XI, 19. C. XXXVI, 26. Deut. XXX, 6. Cooperantis no-
va Obedientia, h.e. bonū propositum & ſtudiū bonorum operum.
Phil. II, 13. Conſequentis gratiæ eſt, novum hominem in Spiritu ma-
gnificare, ſuſtentare, à lapsu præſervare, firmare; uno nomine, per-
ſicere & conſummare. Phil. I, 6 g. I. Theſſ. V, 23. I. Cor. X, 13. I. Pet. V, 10.

LXXVI. — Positâ Gratiâ Dei, ut cauſâ pœnitentiæ & conver-
ſionis ſolitariâ, removentur omnes vires naturæ, II. Cor. II, 14. I. Cor.
III, 5. Eph. II, 1. Ubi notetur, viſ comparationis inter mortem na-
turalem & spiritualem, reſpectu *ad vivificiæ*, qvoad vivificationem.
DICES. Siue intellectu & voluntate hominis nullam fieri con-
verſionem. Ad qvod, ut dextrè responderi queat, tenendum. 1. Fa-
cultates animæ, mens & voluntas &c. ſunt ſubjectum convertendū, non converſionis principium. Fiunt novi motus in homine,
non ab homine. 2. Anima in actu converſionis, etſi otiosa non eſt,
ſed agnoscit, dolet, aversatur malum, vult & eligit bonum; vires
tamen vel potentias agnoscendi, dolendi, aversandi, eligendi, nul-
las ex ſe ipſâ; ſed omnes, unicè & in ſolidum à Spiritu S. collatas
habet. 3. Agnoscere ergo, dolere, aversari, velle, licet ſubjectivè
ſit hominis pœnitentia, non Spiritus. S. Originaliter tamen & effi-
cienter non hominis, ſed ſoliuſ Spir. S. eſt. 4. Hoc reſpectu mens
& voluntas humana in ipſo converſionis actu, ſe habent merē
paſſiue, h.e. nec operantur converſionem aut pœnitentiam, nec
operanti eam Deo cooperantur. Labi qvidem, per ſe & ex ſe potest
homo, potest & rejecere gratiam, ad erigendum ſufficienter labo-
rantem, ejusq; ſingulis motibus, vel hos ipſos violenter & destina-
tâ mente repellendo, vel ſaltim non admittendo, reſiſtere. Ve-
rū ex ſe & per ſe, nemo refuſit, aut refiſcit. 5. Sicut unica cau-
ſa, qvod homo convertitur, Dei gratia eſt; ſic qvod multi non con-
vertuntur, cauſa eſt ſola hominis voluntas, non quatenus volun-
tas, vel quaſi non ſatis potenter & efficaciter à Deo moṭa, ſed qua-
tenus

tenus libera seu indifferens est, & vi hujus indifferentiae, posthabita sufficienti motione divinâ, posthabitatis necessariis & adæquatis ad conversionem mediis ac viribus, adhuc præferre mundum Christo (ut potè non utens concessâ gratiâ) imò rectificata jam per Spiritum Dei, omissâ circumspectione debitâ, resilire à bono ad malum, naturæ corruptæ amicum, vel statim vel deinceps, potest.

LXXVII. His itâ constitutis, occurrimus *Controversia*, de viribus naturæ & gratiæ, in actu conversionis vel pœnitentiæ. Ubi Qværitur I. in genere, *An supersint in homine corrupto, vires natum-les, saltim modicula, eæq; sopita, qvæ excitentur à gratiâ præveniente, itâ ut harum adminiculo deinde cooperari dicatur homo operanti & conver-sionem inchoanti Spiritui S.?* Qvod non solùm contrâ Pelagium, sed & Pontificios, omnesq; Synergistas simpliciter negamus, ipsumq; pœnitentiæ & conversionis opus, non tantum in primordio, sed progressu quoq; & termino, adeoq; in omni actu, tam præparato-rio, qvam principali & consummato, operationi Spiritûs S. in so-lidum transcribimus. *Argumenta id probantia, partim jam addu-cta, partim alibi fusiùs deducta expendantur.* Objicitur. I. Scriptu-ram reqvirere ab homine, ut cor scindat, à malo declinet, bonum eligat: *Resp.* à necessitate debiti ex gratiâ Dei, ad vires Naturæ non valet Conseq. Urget Deus pœnitentiam, eamq; non nostris, natu-ræ, sed suis, gratiæ, viribus, ad qvas recipiendas, tam in V. qvam N. T. allegamur, agendam. Imò ipsa Scriptura, qvæ jubet nos, v.gr. circumcidere cor nostrum, *Deut. X, 6.* Eadem, *C. XXX, 6.* cordis no-stri circumcisionem Deo tribuit. Omnis ergo ad pœnitentiam vo-catio, vel invitatio divina, nihil aliud vult, qvam ut homo pecca-tor gratiæ ad conversionem efficaci, se totum, sine resistentiâ, per-mittat ac subjiciat. Itâ certò futurum, ut convertatur (non qui-dem immediatè, sed utens per ipsam gratiam, oblatis à Deo mediis) & sic conversus vivat. 2. Nostrarum esse virium, applicare cor ad audiendum Verbum Dei. *Resp.* Distinguendo inter audi-tum externum, qvem potestati nostræ, qvantisper ponitur Prædi-cationis gratia, non denegamus; & inter vim compungendi cor, ex Verbo lecto vel audito, internam, spiritualem, salutiferam, qvæ solius Spiritus Dei est. II. Qværitur, in specie, de *Contritione*: Num

*hec sit merè passiva, Spiritui S. in solidum vendicanda, an (juxta Bell. lib. 2. de pœnitentiâ) & activa sit & libera, h.e. voluntariè suscepta? Nos, præsuppositâ contritione non Ethnicâ, sed salutari Christianâ, h.e. fide temperatâ, Affirmamus prius, Negamus posterius: Afferentes non modò fidem & bonum propositum, sed ipsam quoq; Contritionem esse opus Solius Dei. Dei & Spiritus ejus est, conterere Verbo suo cor lapideum, & inflammare frigidum, consumptis, ut igne, iordibus, *Jer. XXIII, 29. Ezech. XI, 19. Jes. IV, 4.* Objicitur. 1. Passionem coactam non placere Deo. Resp. Nulla contritio Deo placet, nisi qvæ fidem habet conjunctam. Et hæc coacta non est, ut ut nec humano arbitrio, aut voluntate hominis animalis, qvæ ex se, ratione spiritualium, non libera sed serva est, electa & assumpta sit. 2. Contritionem ut sic, vel in se spectatam, fugere à Deo, & ad desperationem ducere; idq; pugnare cum proprietate operum gratiæ Dei. Resp. Contritio, non accedente fide, est opus à Deo inchoatum, non completum; qvippè ab homine resistente impeditum. Fugit ergò Deum, & ad desperationem adigit, non qvatenus est opus, Dei, sed qvatenus fide de culpâ hominum, defituitur.*

LXXXVIII. Causa Organica adæqvata, est VERBUM Dei, non exclusis Sacramentis: Notz. Habet Verbum Dei, sive Symbolis Sacramentalibus vestitum, sive extrà Sacramentorum usurpationem applicatum, nō solum rationem causæ impulsivæ, ejusq; non uno, sed plurimis exquisitissimorum & penetrantissimorum argumentorum generibus, ad pœnitentiam unumq; invitantis, & moventis, ut *Tubæ*; sed & *Organii* efficacis, per quod Spiritus Dei contritionem & fidem in homine operatur, Illam excitando per Legem, Hanc per Evangelium, *Jer. XXIII, 29. Hebr. IV, 12. Rom. I, 16. C. X, 16. 17.*

LXXXIX. Qvaritur; Qvodnā hic propriè sit officium & opus Legis, qvodnā Evangelii? Resp: 1. Omnes Invitationes ad pœnitentiam, nō sunt conciones legis strictè dictæ, sed Evangelii generaliter sumpti, qvatenus non modò Christum Salvatorem, sed & viam, modum, ac media perveniendi ad eū ostendit, *Mara. I, 23. 4. Lex*, in rigore suo considerata vult hominē adeò esse perfectum, ut illū nullius pœniteat: quale cum non invenit, maledicit; nec ullū remedium adverso maledictionem (qvale pœnitentia est) suppeditat. 2. Lex Domini, ut in se spiri-

se spiritualis, sancta, justa, bona; ad hominem, ut natura carnalem
seu peccatorem, instar speculi, relata, tum agnitionem peccati &
ira Dei, tum dolorem super his, cum detestatione quodam peccati,
ceu *avocias*; Evangelium vero stricte acceptum (quatenus con-
tritis mentibus terminative, non nisi salutem, gaudium & sola-
tium in Christo, annunciat, offert, instillat. *Ies. LXI, 1. Luc. II, 10.*
Matt. III, 2. C. IV, 17.) Fidem directe, tanquam causa instrumentalis
gignit & efficit. 3. Novae obedientiae, tam in affectu, quam effectu
spectatae, non principiu quoddam (hoc enim est solus Spiritus ado-
ptionis, ex Evangelio,) sed Regula & Norma divina Lex est. 4. Fi-
de ad contritionem se applicante, eamque salutarem efficiente, &
ad normam obedientiae novae conversos ablegante; non modo
concurrunt, sed & amicè se excipiunt Lex & Evangelium; Illa, qua-
tenus adimplera est per Christum; Hoc, quatenus eundem, ut finem
Legis, fide suscipiendum exhibit, *Rom. VIII, 4. C. X, 4.*

LXXX. FINIS pœnitentia, ratione intentionis divinæ (qui
& effectus, ratione executionis) duplex est; alius in descensu & re-
latione Dei ad nos, isque proxim & immediatus: Alius, eo mediatis,
in ascensione & respectu nostri ad Deum. Ille Remissio pecca-
torum, seu Justificatio est, *Marc. I, 4. Luc. XXIV, 47. Act. II, 38. Luc.*
XVIII, 14 Psalm. XXXII, 5. Hic est vitæ novitas, seu studium bono-
rum operum, veluti fructuum pœnitentia dignorum (seu eidem
convenientium, priorum) *Matt. III, 8.* ex verâ fide, quæ otiosa
non est, sed per charitatem operosa, *Gal. V, 6.* productorum, haben-
tium se ad hanc, ut se habent fructus boni ad arborem bonam, vid-
eth. 58. Nota. Deus remittens peccata, censet facta, ut infecta; pec-
catorem, ut justum, quod Argumentum est ad Novam Obed.

LXXXI. Qvaritur, de Remissione peccatorum. I. in genere; *Quo*
pacto haec tribuenda sit pœnitentia? Resp. Principaliter & immediate
competit fidei, non quatenus illa est habitus vel actio; sed, prout
Christum respicit; & sic debeatur ipsi Christo, fide apprehenso. De-
inde tribuitur toti pœnitentia, propter fidem, quâ perficitur &
salaris redditur Contritio. Qvaritur. II. In specie, de virtute Con-
tritionis ad remissionem peccatorum. Resp. Remissio peccatorum
reqvirit & præsupponit Contritionem, i. non ut meritum recon-
ciliationis; Gratis enim justificamur, h. e. non nostro, sed unius
Christi

Christi merito, eoq; solo, non contritione nostri, nedum illius si-
vè dignitate, sive quantitate, graduumq; discrimine, nititur pro-
missio de remissione peccatorum, qvæ merè gratuita est. 2. Non ut
mediū justificationis à parte nostri, qvod sola fides est. Sed 3. ut par-
tem ordinis à Deo instituti : neq; enim fides, cordis securi, sed con-
triti est. Breviter. Qvicq; efficaciæ vel utilitatis habet Contriti-
o, id non ex se, sed ex fide sibi conjunctâ habet. III. Qvaritur. de
Integritate ac valore venia : *an remissā culpā, tollātur & pœna omnes?*
Resp. Reatum & maledictionem animæ, itemq; obligationem ad
æternum supplicium, statim aufert Deus, simulac culpam, & qvi-
dem totam, deprecanti condonat. *Matt. XVIII, 27.* Sed cum exce-
ptione Crucis, tribulationis & castigationis temporariæ; ut potè ad
subigendum carnem, probādum fidem, excitandum spem, & emi-
nentius obsequium, in patientiâ, Deo præstandum, maximè neces-
sariæ. Et hæc qvidem, actâ pœnitentiâ, sicut œconomia paternæ
reservanda, itâ nō *λυωεία*, sed *δοκιμοσία & παιδεία* Dei, nuncup-
panda. *Aet. XIV, 22. Rom. V, 3. 4. Hebr. XII, 5. seqq.* Exemplum vide-
mus *II. Sam. XII. seqq.* Qvaritur. IV. *De conditione vel statu gratiae,*
per pœnitentiam & remissionem peccatorum conferendæ, Num
videl. *venia pœnitentia novam gratiam foederalē constitutat, an verò sit*
redintegratio ac renovatio ejusdem fœderis, qvod pepigit nobiscum Deus in
Baptismo, peccatis nostris post violati? *Resp.* Negando prius, affirmando posterius. Non rumpitur fœdus, nec irritum fit, à parte Dei :
Charismata enim & vocatio ejus *αμεταμέλητa* sunt, h.e. nulli pœ-
nitentiæ vel mutationi unquam obnoxia, *Rom. XI, 29. conf. C. III, 3.*
Sed homo excidit fœdere divino, per lapsus à regeneratione actua-
les. Ideo à parte hominis fieri debet regressus ad idem, per pœni-
tentiam. Et sic denuò recipit Deus hominem resipiscerentem, in
idem illud fœdus, in qvod receperat eum per Baptismum vel rege-
nerationem & conversionem primam. Atq; illo qvidem sensu,
quasi navis fœderalis tota dissiliat, non potest pœnitentia appellari,
secunda post naufragium tabula. Interim, est & manet hæc reme-
diū contrâ peccata, ad avertendam futuram iram, salutare,
divinum, paratisimum, sub dispendio æternæ salutis, non negli-
gendū, sed à lapsis peccatoribus summâ cum reverentiâ ac siti

Justitia

Justitiae arripiendum & exosculandum. Atq; hinc evineatur maxima tūm utilitas, tūm necesitas pœnitentiae salutaris, seriae. Hanc pro peccatis acceptat miserator Deus. **O** Du wißt Buße für die Sünden annehmen! *Sap. XII, 19.*

LXXXII. Qværitur porro, de Necessitate Bonorum Operum, quod usq; hac ipsa se extendat? *Reff.* Exercitium B. Operū, qvi sunt fructus pœnitentia digni, necessariū est, tūm ad declarationem cordis verè pœnitentis, Deūq; diligentis; tūm ad id, ne quis mala operādo (omissio enim bonorū, in primis affectata, sit causa malorum) statu gratiæ ac salutis excidat, & in pristinū ita statū recidat, fiantq; posteriora ipsi deteriora priorib^o &c. *Luc. XI, 26. II. Petr. II, 29. 22. Prov. XXVI, 11.*

LXXXIII. Definiimus pœnitentiam, mutationem hominis peccatoris, ad Verbum Domini, ut Tubam gratiæ, de peccatis seriō dolentis, & fide, tanquam medio reconciliationis, ad Deum, eū Patrem in Christo propitium, redeuntis, cum proposito novæ obedientiæ, vel emendationis vita.

LXXXIV. Conveniant Pœnitentia, Justificatio, Regeneratio, Renovatio, in communi conceptu seu notione mutationis per Verbum gratiæ. Differunt inter se, per modum vel formam, cuiq; propriam, juxta peculiarem applicationem Verbi, compungentis, reconciliantis, regenerantis, renovantis; Sic pœnitentia, ex peccatore averso facit conversum, idq; per excitatum à Deo dolorem, fidem, bonum propositum. *Justificatio*, ex impiō justum, per sententiam, intuitu Christi mediatoris, absolucionem, divinam. *Regeneratio*, ex non filio filium Dei, per nativitatem ex Aqvâ & Spiritu. *Renovatio*, ex homine veteri novū, per mortificationem carnis & vivificationem ac corroborationem Spiritū, suis gradibus subinde crescentem, continuam. Atq; ad hanc, cum Deo, sequetur, tum mutatione per Mortem, eaq; qvoad statum corporis, miserrima, humilima; tūm Immutatio ad *Tubam Novissimam*, summè gloriofa. Sed in eā nemo sortem inveniet, qvi non habuerit partem in Mutatione primā ad tubam Gratiae, Evangelicam. Nos, sicut Illam cum desiderio exspectamus; ita Hanc, ne vel ad momentum procrastinandam, cuivis seriō commendamus. *Faxit Deus*, per viscera misericordiæ suæ, ut omnes & singuli, in hanc senectutem mundi, per tubam Gratiae,

*Gratia, quam intonant Johannes Praecursor, & Ipse Dominus, Salvator:
AGITE POENITENTIAM, ET CREDITE EVANGELIO: AP-
PROPINQVAVIT ENIM REGNUM COELORUM; cordibus com-
puncti, Consilium & desiderium hoc Dei, de salute nostrâ in Christo, per
Spiritum sanctificationis, HODIE exploramus, ejusq; fructu post-
ea ÆTERNUM letemur!*

Clangentem licet audiant tubarum,
Sacrarum sonitum incole theatri.
Mundani, qvibus excitantur omnes
Ult delicta remota pœnitentes
Vitent: vix decimus tamen recondit
Hac cordi memori, sed imminentem.
Diro fulmine Vindicem videbit.
Tu recte Juvenis politiori
Hæc pensas animo. Deus secundet.

JOHANNES CORFINIUS, Thol. D.
Mar. Past. & P.P. h.t. Univers. Rector.

Discunt, ut celebres possint evadere mundo,
Ut bonus evadat, discere nemo cupit.
O! qvam felices animas RESIPISCERE format.
Omnes thesauros, qvi resipiscit, habet !

Ita gratul. Dn. Respondenti
PRAESES.

Quid cœli pandat portas, aditusq; recludat,
O! nos felicem gentem, qvod gratia summi
Numinis id nos scire dedit: qvod cætera turba,
Infelix ea, nescit adhuc. Sed rursus eosdem.
O! nimium nos infastos, si sola cuiquam.
Cognitio haud desit! gravior nam nascitur inde,
Culpa, & majores pœnas hec deinde reposit.

M. JOH. VORSTIUS.

SOLI DEO GLORIA.



Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn739999176/phys_0047](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739999176/phys_0047)

DFG

tenus libera seu indifferens est, & vi hujus indi-
bita sufficienti motione divinâ, posthabitatis nece-
tis ad conversionem mediis ac viribus, adhuc p
Christo (utpotè non utens concessâ gratiâ) imò r
Spiritum Dei, omissâ circumspectione debitâ, r
malum, naturæ corruptæ amicum, vel statim vel

LXXVII. His ità constitutis, occurrimus C
ribus naturæ & gratiæ, in actu conversionis vel p
Qværitur I. in genere, *An supersint in homine corru-
les, saltim modicula, exq; soper, qvæ excitentur à gratiæ
ut harum adminiculo deinde cooperari dicatur homo
conversionem inchoanti Spiritui S.?* Qvod non solùm con-
& Pontificios, omnesq; Synergistas simpliciter n
pœnitentia & conversionis opus, non tantum i
progressu quoq; & termino, adeoq; in omni actu
rio, qvam principali & consummato, operationi
lidum transcribimus. *Argumenta id probantia, p
cta, partim alibi fusiùs deducta expendantur. Ob
ram reqvirere ab homine, ut cor scindat, à malo
eligt: Ref. à necessitate debiti ex gratiâ Dei, ad v
valet Conseq. Urget Deus pœnitentiam, eamq; n
ræ, sed suis, gratiæ, viribus, ad qvas recipiendas, tâ
T. ablegamur, agendam. Imò ipsa Scriptura, qvæ
circumcidere cor nostrum, *Deut. X, 16.* Eadem, *C. X
stri circumcisionem Deo tribuit. Omnis ergo ad p
catio, vel invitatio divina, nihil aliud vult, qvam
tor gratiæ ad conversionem efficaci, se totum, sine
mittat ac subjiciat. Ità certò futurum, ut conve
dem immediatè, sed utens per ipsam gratiam, ob
diis) & sic conversus vivat. 2. Nostrarum esse v
cor ad audiendum Verbum Dei. Ref. Distingue
tum externum, quem potestati nostræ, qvantisper
cationis gratia, non denegamus; & inter vim comp
Verbo lecto vel audito, internam, spiritualem, sa
solius Spiritus Dei est. II. Qværitur, in specie, de C**

E 3.



the scale towards document

Scan Reference Chart TE35 Serial No.

Inch mm

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering